ANDREAE VESALII BRVXELLENSIS, SCHOLAE medicorum Patauinæ professoris, suorum de Humani corporis fabrica librorum EPITOME.

CVM CAESAREAE Maiest. Galliarum Regis, ac Senatus Veneti gratia & priuilegio, ut in diplomatis eorundem continetur.

LECTORI.

QVOD modò damus librorum de Humani corporis fabrica Compendium, in duas partes dissectum est. quarum una sex capitibus complexa, succinctissimam omnium partium historiam complectitur: altera in pluribus tabulis earundem delineationem simul cum characterum quibus insigniuntur indice proponit. Quare tuo ipsius arbitratu nostrum ordinem (quem ex uario ad impreßionis formam, compingendiq́ rationem commodißimum selegimus) tanti quanti uisum erit pendens, aut partium descriptionem, aut designationem, notarumq́ indicem primum aggredieris, quem omnino à figuris nudas uiri mulierisq́ imagines proponentibus auspicabere, ubi externarum sedium appellationes, ceu illarum imaginum index, occurrent. Integram oßium compagem offert figura à uiri tergo impressa: quanquã & figuræ ad uiri illius proportionẽ delineatæ, ac uelut musculorũ tabulæ inscriptæ, etiam sectionis serie ossa proponant, & præcipuè earum quarta & quinta. Musculorum etenim ligamentorumq́ delineatio [illegible] ab illa [illegible] prima musculorum figura inscribitur: cui succedit quæ tertia nominatur, dein quarta & quinta. Nutritionis quæ cibo potúque fit organa, & dein cor partesq́ue ipsius munijs subseruientes, simul cum neruorum serie proponuntur figuris nudam mulieris imaginem subsequentibus, ubi & mulierum generationis spectantur instrumenta, perinde ac uirorum organa occurrunt in figura quintæ musculorum tabulæ agglutinata. Eorum quæ caluaria complectuntur imaginem, præter tabulam neruis commonstrandis paratam, musculorum figuræ satis absolutè referunt. ac primum quidem caput primæ figuræ, dein secundæ, mox quartæ, simul cum imaginibus quas eius figuræ manus amplexantur, & has subsequitur quæ in sinistra quintæ figuræ manu est obuia, aliaq́ inibi præter oculi partium effigiem humi decumbens. Vale, & nostris conatibus candidè (uti offeruntur) utere.

A

BASILEAE.

SERENISSIMO PRINCIPI PHILIPPO, DIVI CAROLI QVINTI IMPERATORIS MAXIMI INVICTISSIMIQVE FILIO HAEREDI.

Andreas Vesalius S.



ENVI *hoc chartarum contextu, maxime Princeps* PHILIPPE, *qui immortalis tui nominis splendore decoratus, in communem studiorum usum auspicatò emittitur, humani corporis historiam enumerationis modo ita partitus sum, singulaq; enumeraui, ut præcipua naturalis philosophiæ pars creaturæ omnium absolutissimæ & iuxtà dignissimæ fabricam pertractans, imaginis cuiusdam uice operum Naturæ studiosis ob oculos uersari possit. quæ quoad fieri licet succinctè, ac minus operose ea exprimat, quæ septem huius argumẽti libris diffusè complexus sum, quorum hæc Epitome semita quædam, aut appendix etiam iure habebitur, capita quæ illis demonstrantur aceruatim comprehendens, omniaq; sic semel proponens, ut augurer eam pro tua incredibili humanitate, qua etiam tenuissimum quodq; scripti genus alacriter amplecteris, è tuo conspectu non reijciendam, quando ut hac ineunte adhuc ætate tam uarijs uirtutibus exornata, omnium disciplinarũ & artium miro amore teneris, ita quoq; generosissimi, ac qui uniuerso orbi aliquando præficiatur digni prorsus animi tui domiciliũ, uel obiter cognoscere iucũdum duces, atq; summorum Imperatorum, Regum, Consulum exemplo turpe miserumq; esse arbitraberis, nos adeò uaria sectantes studia, corporis quod perpetuò circunferimus harmoniã latêre, ac hominem sibijpsi penitus esse incognitum, neq; instrumentorũ tam diuinè ab immenso rerum Opifice structorum compagem perscrutari: quorum munere ea quæ potissimũ, et sola propemodum admiramur, alioquin conficiuntur. Verùm & si hac ratione conatus iste tuo omnibus admirabili iudicio forsitan non displicebit, illum tamẽ medicis adeò nollem reddi familiarem, ut dum prodesse conor, ac in posterum quibusdam sordidorum typographorũ mancipijs ad aliorum labores ineptissimè in arctum contrahendos, suoq; nomine emittendos ad rei literariæ perniciem natis, occasionem præripere studeo, magnopere obsim. Nemo enim nescit, quantum dispendij in scientijs omnibus compendia conciliare soleant. Quandoquidem & si illa ad perfectam absolutamq; rerum cognitionem uiam quandam & rationẽ præfigere uideantur, ac latiùs prolixiusq; alibi tradita, breuiter uniuersimq; contineant, hocq; in primis nomine instar indicis & memoriæ sedis censeantur, in quam sparsim scripta ritè collocentur, nihilo minus compendia ideo egregiè nocent, magnamq; literis cladem adferunt, quod illis solummodo addicti, uix quicquam aliud hodie perlegamus, etiã ijs qui se totos disciplinis manciparunt, duntaxat ad scientiarum umbram & superficiem aspirantibus, ac penitius solidéue nihil eruentibus. Huius mali quantumuis in omnibus propemodum studijs id latè uagari constet, medicorum uulgus grauissimè insimulandum est, quod adeò ignauiter hominis partibus dignoscendis operam nauat, ut ne enumeratione quidẽ ad eas discendas utatur. Quum enim præter cuiusque partis functionem & usum, ipsius quoque situs, figura, magnitudo, color, substantiæ natura, ad cæteras partes connexus ratio, ac eius generis permulta in partium examine medico nunquam satis perspecta esse queant, quotus quisque reperitur, qui ossium, cartilaginum, ligamentorum, musculorum & uenarum, arteriarum neruorumq; frequentissima per totum corpus serie excurrentium, ac uiscerum, quæ in corporis habentur cauitatibus, uel numerum modò tenet? Vt pestilentes præteream medicos, in communis hominum uitæ exitium grassantes, qui ne unquam quidem sectioni astitêre, quum in corporis cognitione nemo aliquod operæprecium præstiturus sit, qui non proprijs manibus, uti Aegyptiorum reges consueuerunt, sectiones obierit, & illas perinde ac simplicia medicamina sedulò frequenterq; uersauerit. Vnde etiam nunquam satis laudabuntur prudentissimæ Asclepiadum familiæ, liberos domi ut lectione & scriptura, sic & cadauerum resectionibus exercentes, ut ita edocti, fœlici Musarum omine studijs incumberent. Cæterùm hic nostram in Anatome totius medicæ artis basi ac fundamento perdiscenda oscitantiam, & quam nobis qui medicinæ nomen dedimus, pernecessaria sit humanarum partium notitia, haud demonstrandum assumpsi: quum cuiusque conscientia abundè attestetur, in morbis curandis eorum cognitionem primas, secundas ac tertias partes meritò sibi uendicare, hancque in primis ab affecta sede peti, debitum quoque (præter alia) auxiliorum usum commonstrante. Quinetiam qui ueteri medicinæ nunc in plerisque gymnasijs pristino nitori propemodum restitutæ dedicantur, affatim intelligere incipiunt, quàm parum frigideq; hactenus à Galeni temporibus in Anatome sudatum fuerit: qui & si huius procerum facilè sit primarius, humanum tamen corpus nunquam aggressus est, & simiæ potiùs quàm hominis ab illius fabrica innumeris sedibus uariantis partes descripsisse (ne dicam, nobis imposuisse) modò colligitur. Quòd autem ad meam attinet audaciam, qua exiguum hoc tuaq; indignum Maiestate munusculum, tanto patrocinio unicè commendatum, ancipitem iudiciorum aleam subit, nullam excusationem prætexurus sum, nisi quòd hanc salsam molam, qua maximè per studiorum rationem litare datur, tantisper meæ erga patriæ Principem singularis obseruantiæ pietatisq; specimen esse uelim, dum thura quoq; offerre aliquando dabitur. Patauij, Idibus Augusti. Anno à Virginis partu* MDXLII.

ANDREAE VESALII BRUXELLENSIS, SUORUM DE HUMANI CORPORIS FABRICA LIBRORUM EPITOME.

DE OSSIBUS, ET CARTILAGINIBUS, *seu ijs quæ corpus suffulciunt partibus.* Caput I.

OMNES humani corporis partes sunt aut [a] similares, sensu'ue simplices, ut [b] os, [c] cartilago, [d] ligamentum, [e] fibræ, [f] membrana, [g] caro, [h] adeps: aut [i] dissimilares, instrumentariæ'ue, quemadmodum [k] uena, [l] arteria, [m] neruus, [n] musculus, [o] digitus, & reliqua totius corporis organa: quę eo magis instrumentaria fiunt, quo pluribus similaribus, ac dein instrumentarijs etiam partibus (ut manus & caput) componuntur. Ossa durissimę aridissimęq; totius corporis partes existunt. Cartilagines uerò ossibus molliores sunt, secundum ossa tamen durissimę totius corporis partes censentur, atque his simul et illis uniuersum corpus sustinetur, omniaq; ipsis adnascuntur adstabiliunturq;. [p] Caluaria cerebri ac sensus organorum sedes, multis constat ossibus: in fronte siquidem sæpius [q] unum tantum, idq; præcipuè in mulieribus, conspicitur: in occipitio similiter [r] unum, in uertice [s] duo, ad utramq; aurem uel tempus [t] unum, cui cauitas insculpitur, organo auditus reponendo adaptata: & duo complectens officula, quorum unum incudi aut molari denti, alterum uerò malleolo non ineptè assimilaueris. Hoc quoque os, præterquàm quòd ipsi cartilago auris corpus erectum seruans continuatur, tres exigit processus: ac [u] unus uberis papillam refert: [x] alius stylum, aut acum, aut galli calcar: tertius antrorsum ductus, superiorisq; maxillæ ossi in externa oculi sede locato serrata compage commissus, in altero latere portionem cõstituit eius sedis caluariæ, quam [y] iugale os uocamus. Quinetiam temporis os posteriori inferioriq; ipsius parte simul cum occipitis ossis basi eam caluariæ regionem efformat, [z] quam præruptæ rupi non duritia modò, uerùm & imagine conferimus. In capitis basi [a] os insigne habetur, cuneo à Dissectionum professoribus comparatum, & forma impensè uarium, [b] processusq; educens uespertilionum alis simillimos. Ad hæc, [c] aliud os in narium summo reponitur, cribri aut potiùs spongię forma peruium, & cum septem enumeratis ossibus amplitudinem cerebro excipiendo paratam constituens, nariumq; [d] septum efformans. In [e] superiori maxilla, præter dentes duodecim ossa recensentur, unum utrinq; in exteriori [f] sedis oculi regione, & duo utrinq; etiam in interiori, & unum utrobiq; in inferiori, quod maxillæ ossium longè maximum uisitur, superiorum alterius lateris dentium alueolos sibi insculptos obtinens. Ad palati finem, quà narium foramina in fauces pertinẽt, utrobiq; etiã unum eius maxillæ os consistit. & prominens deniq; nasi pars duobus extruitur ossibus, priuato nomine (ut & cętera maxillæ superioris ossa) destitutis, & nasi cartilagines producentibus, quibus cartilagineæ narium [g] alæ stabiliuntur. Hactenus commemoratorum ossium pleraq; inuicem suturis committuntur, ex quibus transuersim in sincipite ducta [h] coronalis dicitur: transuersim uerò in occipitio prorepens, à Λ similitudine [i] nomen obtinuit. quæ autem ab huius uertice ad coronalis medium per capitis longitudinem incedit, [k] sagittalis uocatur. at quæ ab hac æquè distant, & super aures feruntur, non suturarum speciem, sed ueluti duarum inuicem incumbentium squammarum imaginẽ exprimũt, inde etiam [l] squãmosæ conglutinationes appellatæ. Reliqui etiam dictorum ossium connexus nullibi adeò exquisitè, ac tres modò dicti, formam suturæ referũt: imò locis aliquot simplicis lineæ speciem commonstrantes, harmoniæ potiùs quàm suturæ nomen merentur. [m] Inferior maxilla simplici constat osse, nisi fortè admodum puerulis in summo mento ex binis ossibus ita coalescat, quemadmodum plurima puerulorum ossa multis ossibus compinguntur, quę aliàs illis, qui ad summum deuenere incrementum, simplicia occurrunt. Articulatur uerò inferior maxilla utrinq; ossi, quod ad aurem consistit, peculiari cartilagine hîc præter illam interueniente, quę ossium capita sinusq; ubi inuicem componuntur, crustæ modo oblinit, & articulum promptè uersatilem & ab iniurijs in continuo ossium affrictu liberum reddit. Vtraq; maxilla plurimùm sedecim [n] dẽtes nanciscitur, quatuor nimirum [o] incisorios, duos [p] caninos, & decem [q] molares, qui ut forma anteaquam eruantur apparente differunt, sic etiam impari radicum numero suis [r] præsepiolis infiguntur. In [s] faucibus linguæ radici [t] os præponitur υ imaginem uerius quàm Λ exprimens, & pluribus contextum officulis, ex quibus humiliora suis extremis asperę arterię capitis (quod [u] laryngem libentiùs quàm guttur nuncupamus) cartilagini committitur, quę [x] scutũ refert, primaq; laryngis cartilago numeratur, ac tangentibus tota occurrit. Secunda enim magna ex parte posteriorem laryngis sedem constituit, & anulo quem Thraces dextro pollici sagittantes imponunt similis, nomine destituitur, hinc quodammodo [y] id inueniens. Tertia, quæ duabus proprijs extruitur partibus, [z] uasorum quibus aquam manus lauaturis affundimus orificio respondet, in laryngis medio rimam efformans tibiarũ linguis, seu fistularum quas ori indimus rimis similem, [a] lingulamq; ob id nuncupatam. His cartilaginibus [b] operculum simul cartilagineum & pingue, ligamentiq; natura participãs insternit, reliquis interim asperæ arterię cartilaginibus, quæ ipsius caudicẽ et ramos in pulmonẽ digestos cõstituũt, C uel C imaginẽ [c] exprimẽtibus. [d] Dorsum medullę dorsali iter potissimùm parãs, ac corporis ueluti carina in [e] collum ceruicem'ue, [f] thoracem, [g] lumbos, [h] sacrum os, & [i] coccyx seu cuculus os diuiditur, triginta quatuor ossibus (quas [k] uertebras uocamus) efformatum. Acceruix septenas cõtinet, multis, & in omnibus non pari numero processibus ornatas, ad quarum primam (quæ sola inter reliquas uertebras [l] spina destituitur, & transuersos processus egregiè protuberantes possidet) caput antrorsum retrorsumq; rectà ducimus. Secundæ uerò uertebrę (cui [m] processus instar canini dentis prominens accidit) beneficio caput circumuertimus. Reliquarũ autem opera in latus, sed tantùm secundariò, caput fertur. Thorax duodecim obtinet uertebras, costarum articulationes admittẽtes. ac harum ferè infima suis ascendentibus & descendentibus processibus, quibus uertebræ præter ipsarum corporum connexum inuicem articulantur, à proximis uertebris suscipitur, uti prima ceruicis & suprà & infrà ipsi contermina ossa suscipit: reliquis interim dorsi uertebris illi duodecimæ superioribus suprà quidem susceptis, infrà autem suscipientibus: & qui inferiùs consistunt, infrà susceptis, suprà suscipiẽtibus. Subsunt uerò illi duodecimæ, quinq; lumborũ uertebræ, dein sacrũ os, plurimùm sex proprijs compactum ossibus, inuicem ualidè nexis. Coccyx uerò os infima sede in cartilaginẽ desinens, crebrò quatuor exiguis constituitur officulis, nulli neruo iter præbentibus, neque ullo donatis foramine, quò dorsalis medulla reponatur. Pectoris [n] os [o] anteriorem [p] thoracis (qui congruã cordi & ipsi subseruientium organorum sedem parat) regionem sibi uendicans, rarissimè septenis, uerùm paucioribus extruitur ossibus, septem costarum articulationẽ utrinq; excipientibus. Quippe ex duodecim [q] costis utrobiq; positis, & in cartilaginem degenerantibus, septem elatiores suis cartilaginibus pectoris ossi coarctantur, hinc [r] uerarum & legittimarum nomen sortitæ. Quæ autem pectoris os non contingunt, & tanto magis ab illo anterioriq; abdominis regione deficiunt, quanto humiliorem sedem obtinent, [s] spuriæ uocitantur. Inferior pectoris ossis sedes in [t] cartilaginem cessat, obtuso ensis mucroni (perinde ac totum pectoris os ensi assimilatur) respondens. Superiori autem ossis sedi ubi latissimum & robustissimũ est, [u] iugulumq; consistit, utrobiq; una articulatur [x] clauicula, humeri articulum à thoracis latere remouens. [y] Scapula etenim trianguli imaginem quodammodo exprimens, posteriorem thoracis sedem altera ex parte occupat, in ceruicem desinens, cui acetabulum insculpitur, brachij ossis capiti excipiendo conueniẽs: dein ex ipsius dorso processum educit, qui super humeri articulum pertingẽs, [z] summus humerus appellatur: ac clauiculæ peculiaris cartilaginis interuentu (ut & in clauiculæ ad pectoris os nexu fit) articulatus, humeri articulum à thorace auxilio clauiculæ diducit: humeri etiam articulum superiùs perinde muniens, ac [a] interior scapulæ processus anchoræ, & C aut C comparatus. [b] Brachij itaq; os, seu humerus, scapulæ articulatur, & huius inferiori sedi uarijs sinibus & tuberibus exornatæ, rursus duo [c] inibi ossa iunguntur, [d] radius nimirum & [e] ulna, quæ totius membri no-

a ὁμοιομερῆς. b ὀστοῦν. c χόνδρος. d σύνδεσμος. e ἶνες. f ὑμήν. g σάρξ. h πιμελή. i ἀνομοιομερῆς, uel ὀργανικά. k φλέψ. l ἀρτηρία. m νεῦρον. n μῦς. o δάκτυλος. p κρανίον. q ὀστοῦν μετώπου. r ἰνίον. s βρέγματος, uel κορυφῆς. t λιθοειδοῦς. u μαστοειδής. x στυλοειδής, uel βελονοειδής, aut πλῆκτρον. y ζύγωμα. z λιθοειδής. a σφηνοειδής, uel πολύμορφον. b πτερυγοειδής. c ἠθμοειδής, uel σπογγοειδής. d διάφραγμα. e ἡ ἄνω γνάθος. f λόγχες. g πτερά. h στεφανιαία. i λαμβδοειδής. k ὀβελιαία. l λεπιδοειδῆ προσκολλήματα. m ἡ κάτω γνάθος.

n ὀδόντες. o τομεῖς. p κυνόδοντες. q μυλῖται. r φάτναι. s φάρυγξ. t ὑοειδές. u λάρυγξ. x θυρεοειδής. y ἀνώνυμος. z ἀρυταινοειδής. a γλωττίς. b ἐπιγλωττίς. c σιγμοειδής. d ῥάχις. e αὐχήν, aut τράχηλος. f θώραξ. g ὀσφύς. h ἱερὸν ὀστοῦν. i κόκκυξ. k σπόνδυλοι. l ἀκάνθη. m ὀδοντοειδής. n στέρνον. o στῆθος. p θώραξ. q πλευραί. r ἀληθεῖς. s νόθαι. t ξιφοειδής. u σφαγή. x κλείς. y ὠμοπλάτη. z ἀκρώμιον. a ἀγκυροειδής, uel σιγμοειδής. b βραχίων. c πῆχυς. d κερκίς. e πῆχυς, uel ὠλένη.

mine etiam cubitus appellatur, parí que modo in homine ac in quadrupedibus ad brachij os flectitur, & extenditur, ac in superiori ipsius sede, qua posteriorem cubiti articuli regionem constituit, processum obtinet, quem [f] gibberum pleriq; nominãt. Atq; ita etiã inferior ulnæ pars alium gerit, [g] qui à styli forma nomẽ nanciscitur. Cæterùm soli propemodum radio [h] brachiale articulatur, ac ueluti propria cartilagine ab ulna dirimitur, octo ossibus inter se forma & magnitudine omnino differẽtibus extructũ: cuius rursus inferiori sedi quatuor postbrachialis ossa unà cũ primo pollicis esse coarticulant. Is nanq;, ut & reliqui quatuor digiti, tribus [k] ossibus seriatim, ac ueluti in acie positis cõstituitur. Omniaq; digitorũ ossa sunt quindecim. quibus in secundo pollicis internodio duo parua accedunt [l] ossicula, sesami semini collata: qualia etiam in primis quatuor digitorũ internodijs (sed multo minora, impẽsiusq; cartilaginea) interiori sede habẽtur: & unum in pollicis tertio internodio, unumq; ad exterius latus connexus ossis postbrachialis paruum digitum sustinentis ad brachiale secãtibus obseruatur. In reliquis uerò digitorum internodijs rariùs unum, nisi in ualde senibus uisitur. Vtriq; sacri ossis lateri grande os coarctatur: quod ubi amplum est, iliaq; respicit, [m] iliũ os dicitur: ubi uerò profundiori acetabulo femoris caput admittit, [n] coxendicis: ubi autem cum alterius lateris osse pubem constituit, insigniterq; perforatum cernitur, [o] pubis os appellatur: quamuis uniuersum os subinde coxendicis nomine comprehendamus. [p] Femoris os suprà rotundo capite ceruici prolixæ, & introrsum obliquatæ adnato, coxendicis ossi inarticulatur, infrà uerò duobus capitibus grandioris in tibia ossis sinus subit, sinu quodam in eorum capitum medio existente, quo tuber dicti tibiæ ossis recipitur, peculiaribus etiam cartilaginibus in hoc articulo quadrupedum & auium genu simillimo interuenientibus. Iuxta femoris ceruicis externam sedem grandis apparet processus, quem [q] natem & magnum rotatorem appellamus. intus quoq; alium obtinet [r] processum, sed multo minorem exteriori, quem hac occasione minorẽ seu interiorem rotatorem uocamus. [s] In tibia, quemadmodum & in cubito, duo spectãtur ossa, quorũ internum crassitie exterius longè uincit, totiusq; membri nomine comprehenditur, [t] exteriori interim osse, quod femori nõ articulatur, fibula appellato. Ante tibiæ cum femore articulum [u] os rotundum, & mola patella'ue dictum, scuti instar prælocatur. Cæterùm imæ tibiæ & fibulæ partes externis ipsorum lateribus prominentes ac excarnes, [x] malleoliq; appellatæ, [y] talum eadem sede in homine ac in quadrupedibus repositum, & eundem in illo ac in his usum subeuntẽ apprehendunt: cui [z] calcis os subijcitur, tibiæ rectitudinem in posteriora longè excedens. Anterior uerò tali sedes in rotundum caput desinens, [a] ossis nauicularis sinum subit, cui tria [b] tarsi [c] ossa coarticulantur. [d] Quartum enim exteriusq; tarsi os cubi & tesseræ imaginem exprimens, calci iungitur. Porrò quatuor tarsi ossibus quinq; [e] pedij ossa coarticulantur, & his quinq; pedis digiti sustinẽtur, è quibus pollex duobus tantũ ossibus efformatur, reliquis interim tria internodia sibi uendicãtibus. Quinetiam in pede (quẽ homo quadrupedibus multo breuiorem obtinet) totidem ac in manu exigua occurrũt ossicula, quæ sesami semini comparamus: quanquam primo pollicis internodio hîc duo longè grandiora quàm in manu subijciantur, horumq; interius illud sit, quod occultæ philosophiæ sectatores corruptioni neutiquam obnoxium esse affirmãt, & tantisper in terra asseruandum nugaciter contendunt, dum id resurrectionis tempore seminis modo hominem producat. Ad hæc, in pede non minus quàm in manu [f] ungues uisuntur, quos non inopportunè substantiæ gratia huc reponimus: quemadmodum inter partes aliquid suffulcientes referimus palpebrarum [g] cartilagines, cilia quo minus flaccidè concidant erigentes.

Margin (left): f ὠλέκρανον. g στυλοειδής. h καρπός. μετακάρπιον, αυτ στῆθος. k φάλαγγες, αυτ σκυταλίδες. l σησαμοειδῆ. m λαγόνος ὀστοῦν. n ἰσχίον. o ἥβης. p μηρόν. q γλουτὸς & μέγας τροχαντήρ.

Margin (right): r μικρὸς τροχαντήρ. s κνήμη. t περόνη. u μύλη, uel ἐπιγονατίς. x σφυρά. y ἀστράγαλος. z πτέρνη. a σκαφοειδές. b ταρσός. c χονδροειδῆ. d κυβοειδής. e πεδίου ὀστᾶ. f ὄνυχες. g ταρσοί.

DE OSSIVM AC CARTILAGINVM LIGAMENTIS, & musculis arbitrarij motus instrumentis. Caput II.

LIGAMENTVM non minus quàm musculorum [a] eneruationes, & organa quibus animalis spiritus à cerebro deducitur, [b] nerui nomine uulgò donatũ, corpus est similare, ex osse aut cartilagine principium ducens, sensus propemodũ omnis expers, durum, sed tamẽ cartilagine mollius, album, & in colligando, continendo, obtegendo, ac musculis constituendis uarios in hominum fabrica usus præstans. [c] Musculus enim motus ex nostro arbitratu pendentis instrumentum censetur, multis membraneis ligamentiq; naturam possidentibus, & carne intertextis fibris formatũ, ac ut in se contrahatur, mouendamq; partem agat, neruorum à cerebro animalem uim adferentiũ opem nõ secus quàm sensuũ organa requirens: similiterq; ut reliquæ quas enutriri oportuit partes, uenis ac arterijs irrigatũ. Cæterùm [d] tendo musculi quædã est eneruatio, ac uelut illius fibrarum citra carnis interuentũ coalitus. Quippe tendo à musculo tunc solùm producitur, quando ille adeò longam sedem ab exortu (quem ab osse, aut cartilagine, aut membrana quapiam sumit) ad insertionem (quam in mouendam partem molitur) obtinet, ut ipsius fibræ carnis primariæ musculorum partis implexu uniuerso ductu non indigeant. Adeò ut longiores musculi in tendinem modò teretem, modò latum, & ueluti membraneum, modò breuiorem, modò longiorem desinant: breues autem musculi uniuerso progressu carnei permaneant, in nullam notatu dignam eneruationem degenerantes. Porrò frontis cutem membrana ipsi substrata, & carneis fibris adaucta mouet. [e] Cutis namque natiuum corporis tegumentum exteriùs tenuem admodum obnatam exigit [f] cuticulam, ueluti ipsius uere cutis efflorescentiam. Interiùs uerò per uniuersum corpus [g] membrana quædam cuti subducitur, quã quòd alicubi (quemadmodum hîc in fronte) carneis fibris adaugeatur, carneam uocari uisum fuit. atque inter hanc membranam & cutem [h] adeps plurimus homini asseruatur. Superior palpebra etiam dictæ nuper membranæ beneficio mouetur: ea enim parte qua hęc ad internam oculi sedis regionem carnea efficitur, palpebram attollit: qua uerò ad externam oculi sedem carneis fibris ad C nostri imaginem ductis enutritur, palpebræ motus deorsum autor euadit. Oculum septem agunt musculi, primus in latus introrsum, secũdus extrorsum, tertius sursum, quartus deorsum ducunt, quintus & sextus nonnihil oculum circumuertunt, primi & secundi musculorum functionem parumper adiuuantes. Atq; hi sex forma, quæ oblonga & quasi teres uisitur, inuicem correspondent, & à dura membrana neruum uisorium inuestiente pronati, in anteriorem duræ oculi tunicæ sedem iuxta iridis latera orbiculatim membraneis tendinibus inseruntur. Septimus uerò his occulitur, & solus neruum uisorium in orbem ita ambiens, ut sex dicti simul eundẽ unà cum septimo musculo induebant, in posteriorem duræ oculi tunicæ sedem carneus implãtatur, & ijsdem ferè motibus cũ sex illis musculis pręest. Alterã nasi alam sursum extrorsumq; ducit musculus, ab interiori malę latere pronatus, unaq; parte in alam, altera in superius labrum, quà id alæ subijcitur, insertus. Introrsum uerò alam contrahit membraneus musculus, in narium amplitudine sub tunica illas succingẽte latitans. Buccas & labra agunt musculi utrinq; quatuor. ac primus à carnea constituitur membrana, carneis fibris in anteriori potissimùm colli sede & facie ad malas usque enutrita, musculosaq; facta. Secundus à malis pronatus, superiori labro implantatur. Tertius ab inferiori maxilla in humilius labrum pertinet. Quartus admodũ uarius in ea buccarum parte consistit, quam inflamus: atq; his accedit musculi illius portio, quem nasi alam extrorsum agere nouimus, qui unà cum dictis mirificos illos uariosq; buccarum & labrorum motus effingit. Maxillam inferiorem mouentium utrinq; etiam quatuor habentur. primus [i] temporalis est, à uerticis osse, & frontis quoq;, & cuneũ referente, & tẽporis ossibus amplo latoq; principio enatus, ac maxillæ inferioris acuto processui insertus. Secundus à mandendo [k] mansorius dictus, ab ea capitis parte quę iugale os nuncupatur, procedit, externæ maxillæ sedi insertus. Tertius à capitis processibus alarum imaginem exprimentibus, in internam maxillæ sedem implantatur, unà cum dictis maxillam attollens, & in latera prorsumq; ac retrorsum agens. Quartus cum suo coniuge maxillã deorsum trahit, & à stylum imitante capitis processu initiũ ducens, duobusq; uentribus priuatim donatus, ad summum mentum maxillæ inseritur. Os υ referens deorsum rectà trahunt duo musculi inuicẽ proximi, atq; à pectoris ossis summo pronati. Sursum uerò id ducũt alij duo, à maxilla inferiori principiũ ducẽtes: in latera autẽ id os sursum allicit unus utrinq; musculo, qui à capitis processu stylũ referẽte nascit. Deorsum quoq; ad latera utrobiq; unus mouet musculus, ab elatiori scapulę costa principiũ obtinens. Octo præsentes musculi in anteriorẽ ossis υ imaginẽ exprimẽtis sedẽ implantantur. Linguæ radici à dicti iam ossis medio carnea moles implantatur,

quæ

Margin (left): συνδεσμος. a ἀπονευρώσεις. b νεῦρος. c μῦς. d τένων. e δέρμα. f ἐπιδερμίς. g ὑμὴν σαρκώδης. h πιμελή.

Margin (right): i κροταφίτης. k μασσητήρ.

quæ duorum musculorum uice numerari posset, introrsum'que & deorsum rectà linguã trahit. Ab eius ossis lateribus utrobique unus etiam linguæ radici inseritur, introrsum, sed tamen magis ad latus linguã agens. Quintus & sextus linguæ musculi in utroque latere singuli à capitis processibus stylum referentibus enati, linguæ radici implantantur, eam sursum, prout hic aut ille contrahitur, ad latus ducentes. Septimus & octauus utrinque singuli à lateribus maxillæ inferioris iuxta molarium dentium radicem enati, linguæ longitudini secundùm humiliora inseruntur, linguæ partem ante sectionem in hiante ore conspicuam deorsum in latera mouentes. Nonus ab interna maxillæ inferioris sede iuxta summum mentum prodiens, crassus cernitur, & aliquot donatus inscriptionibus, linguæque humiliori sedi insertus, eam extrorsum agit. quanquam præter hos musculos linguæ corpus ante sectionẽ apparens, talibus implicetur fibris, ut magna Naturæ industria in omnem motus differentiam promptissimè feratur. Primam laryngis cartilaginem secundæ committunt quatuor musculi, laryngis rimulam arctantes: & quatuor tertiam cartilaginem secundæ nectunt, rimulam aperientes: & duo tertiam primæ colligant, rimulam claudentes: alij duo in tertiæ cartilaginis basi consistentes rimulam stringunt. Atque hi duodecim musculi, laryngis proprij uocantur. Communiũ uerò duo ab osse υ simili primæ cartilagini inseruntur, eamque antrorsum attollentes, rimulam laryngis reserant: & duo à pectoris osse pronati, in eandem quoque cartilaginem pertinent. Dein duo à posteriori sede stomachi in uicẽ proximi principium ducẽtes, eius quoque cartilaginis lateribus toti carnei (ut omnes ferè laryngis) inseruntur, unà cum duobus postremò dictis laryngem arctantes. Alij duo ab osse υ referente enati, & in laryngis operculi radicem inserti, id sursum antrorsumque uellunt. In caput mouentium classem illi quoque rejciuntur, qui primam ceruicis uertebram priuatim mouent. sunt autem uniuersi septem paria, quod scilicet utrobique totidem enumerentur musculi. Ac primum par ex quinque superiorum thoracis uertebrarum spinis pronatum, sensimque extrorsum obliquè ascendens, occipitis ossi implantatur. Secundum par, quod non duobus, sed pluribus efformari uidetur musculis, admodumque uarium cernitur, præcipua ipsius portione ex transuersis quatuor superiorum thoracis, & quinque humiliorum ceruicis uertebrarum processibus enatum, introrsum'que nonnihil obliquè conscendens, occipitis ossi implantatur. Tertium à spina secundæ ceruicis uertebræ enatum, & extrorsum parumper obliquè repens, occipitis etiam ossi inseritur. Quartum par similiter occipitis ossi insertum, à prima uertebra inibi prodit, quà aliæ uertebræ in spinam desinunt. Quintum ab occipitis osse medio transuersim quodammodo ad laterales primæ uertebræ processus fertur. Sextum à spina secundæ uertebræ in eosdem processus pertinet, similiter ac quinque nunc enumerata in posteriori ceruicis sede consistens, ac pariter ut tertium, quartum & quintum, musculis constãs prorsus carneis & teretibus & gracilibus. Septimum par insignius est, atque à pectoris ossis summo, clauiculisque quà illi articulantur, utrinque unus pronascitur musculus, qui sursum obliquè ductus in mamillarem capitis processum insertionem tentat. Cæterùm primis quatuor paribus simul tensis caput rectà retrorsum ducitur: si uerò trium primorum parium musculi ex altero latere tantùm egerint, ad capitis circumuersionẽ auxiliabuntur, & in illo motu quintum & sextum par, primam ceruicis uertebram unà cum capite in gyrum ducent. Septimi uerò paris musculis suum munus simul obeuntibus, caput rectà antrorsum flectitur: quũ autem alternatim laborant, circumuersionis autores efficiuntur. Verùm ad capitis motum, quo id secundariò cum ceruice flectitur, & extenditur, ac in latus ad humeros ducitur, ceruicis musculi famulantur, inter octo paria dorsum mouentia reponendi. Ac primum par à quintæ thoracis uertebræ corporis lateribus incipiens, ad primam usque ceruicis uertebram pertingit, stomacho subiectũ, superioremque dorsi partem flectens. Secundum à prima thoracis costa utrinque pronatum, & internæ transuersorum ceruicis uertebrarum processuum sedi insertum, ceruicem in latus, sed antrorsum magis, ducit. Tertiũ ex transuersis sex superiorum thoracis uertebrarum processibus originem obtinens, externæ sedi transuersorum uertebrarum ceruicis processuum implantatur, ceruicem'que retrorsum inclinantem ad latus agit. Quartum par à septimæ thoracis uertebræ spina ad secundam usque ceruicis uertebram pertinet, omnibus intermedijs uertebris, uti & primum par, insertum, ac ex eisdem principium capiens, superiorem'que dorsi partem extendens. Quintum par utrinque etiam habet musculum, ab ilium osse in transuersos lumborum uertebrarum processus, & infimam thoracis costam insertum, inferiorisque dorsi partis flexus opificem. Sextum ab infima ossis sacri sede in dorso incipiens, ad ceruicem usque fertur, in transuersos processus lumborum, sed manifestiùs adhùc thoracis uertebrarum insertum. Huius paris ambobus musculis contractis, dorsum extenditur: altero autem tantũ laborante (ut & in alijs paribus) hoc quoque par obliqui seu in latera motus autor euadit. Septimum sub sexto occultatum à posteriori sacri ossis sede principium ducens, ad undecimæ usque thoracis uertebræ spinam conscendit, omnibus intermedijs spinis assertum, ac spinas inuicem colligendo, dorsum hîc extendens: uti & in sua sede octauum par, quod ab undecima thoracis uertebra ad septimam usque ceruicis porrectum, ita prorsus intermedijs spinis committitur, ut septimum illis quibus adnascitur spinis. Scapulam ad pectus mouet musculus à thoracis secunda, tertia, quarta & quinta costis anteaquam in cartilaginem illæ finiat enatus, & trianguli modo in internum scapulæ processum insertus. Secundus scapulam mouentium ab occipitio pronatus, & dein secundùm ceruicis longitudinem ad octauæ usque thoracis uertebræ spinam à uertebrarum spinarum apicibus principium sumens, in scapulæ spinam summum'que humerum & clauiculæ portionem inseritur, tota sui parte quę in ceruice consistit scapulam sursum uellens: ea uerò quæ sub ceruice in posteriori thoracis sede habetur, monachorum'que cucullis respondet, scapulam deorsum trahens. Tertius à transuersis superiorum ceruicis uertebrarum processibus enatus, ac elatiori scapulæ basis angulo insertus, illam quoque attollit. Quartus ex quintæ, sextæ & septimæ ceruicis, ac triũ primarũ thoracis uertebrarum spinis præcipuè enascitur, scapulæque basi insertus, eam ad dorsum nonnihil sursum contrahit. Primus brachij motuum autor à media clauiculæ sede pectoris ossi proxima, & pectoris osse pronatus, ac quodammodo in angulum arctatus, brachium pectori adducit. Secundus ab altera clauiculæ parte, & summo humero, & scapulæ spina principium sumens, suoque uertice brachij ossi transuersim insertus, id sursum uariè attollit, hunc humeri articulum pulchrè [i] tegens, & figurę Δ non [k] absimilis. Tertius ab humiliori scapulæ costa prodiens, brachium rectà ad dorsum allicit. Quartus à sextæ thoracis uertebræ spina ad humiliorem usque sacri ossis sedem ex intermediarum spinarum apicibus originem ducens, & uelutì in trianguli uerticem coactus, in brachium inibi inseritur, ubi tres commemorati insertionem longè sub ossis capite scapulæ articulato moliuntur. atque hic musculus brachium uariè deorsum trahit, uti ipsius principium perquam amplum est: neque ex puncto ita ducitur, ut musculi simplicem prorsus motum obituri. Quintus uniuersum scapulæ cauum costas respiciẽs occupat. Sextus gibbam scapulæ sedem uniuersam sibi uendicat, sub ipsius spina consistentem. Septimus sinum implet inter scapulæ spinam & elatiorem ipsius costam conspicuum. Hi tres amplis implantationibus in ligamenta humeri articulum ambientia inseruntur, brachij circumactus opifices, quamuis septimus & ad brachij eleuationem aliquid auxiliari uideatur. Thoracem mouentium primus à clauicula enatus, in primam thoracis costam inseritur, illam sursum ducens, hac'que occasione ad thoracis dilatationem iuuans. Secundus à basi scapulæ pronatus, tanquam digitis quibusdam octo superioribus costis longè anteaquam in cartilaginem degenerent, inseritur, eas'que extrorsum mouens, thoracem dilatat. Tertius ex apicibus spinarum trium inferiorũ ceruicis, & primę thoracis uertebrarum latum membraneum'que principium ducens, ternis uelutì digitis, tribus quatuor superiorum costarum interuallis sub scapulæ basi inseritur, eas'que costas sursum obliquè ducens, thoracem ampliat. Quartus ab ilium osse incipiens, sursum'que ad ceruicem ductus, duodecim costis quà primùm à uertebris discedunt, inseritur, thoracem arctans. Quintus ex spinarum apicibus duarum infimarum thoracis & aliquot lumborum uertebrarũ membraneus enascitur, & transuersim ductus, ac nonæ, decimæ & undecimæ costis ubi in interiora reflectuntur insertus, thoracem dilatat. Sextus in thoracis amplitudine repositus, uerarum costarum cartilaginibus pectoris'que ossis lateri exporrigitur, thoracis constrictioni præfectus. In duodecim costarum interuallis interiores ac exteriores [l] musculi reponuntur. qui exteriores in costarum ossium interuallis consistunt, à superiori costa antrorsum obliquè suas fibras in humiliorem mittunt: interiores uerò ab inferiori costa sursum obliquè in anteriora, ad superiorem costam fibras porrigunt. In sex uerò cartilaginum quæ legitimis costis asscribuntur interuallis, exteriorum musculorum fibræ ab humiliori cartilagine in superiorem obliquè antrorsum repunt: interiores autem fibræ à superiori cartilagine ad inferiorem antrorsum pertinent, ac proinde in sex legitimarum costarum interuallis quaterni numerantur musculi. in spuriarum autem costarum interuallis bini tantum, uni-

i ἐπωμίς.
k δελτοειδής.
l μεσοπλεύριοι.

uersús unius lateris intercostales musculi quatuor sunt & triginta, ad unum omnes arctando thoraci præfecti. Atque numeratis hacte nus in uno latere thoracis quadraginta musculis, alij totidem in altero latere congruunt. & his octuaginta unus accedit, utrique lateri communis, ipsum uidelicet[m] septum transuersum infimæ pectoris ossis & spuriarum costarum cartilaginibus et uertebris lumborum superioribus insertum, ac in medio nerueum, in circuitu uerò ad insertionem carneum, ut sanguificationi generationi'que subseruientia organa à cordis & partium ipsi subministrantium sede dirimēs, thoracem'que proprio munere dilatans. His accedunt octo abdominis musculi, utrinque nimirum quatuor. Primus seu extimus obliquè deorsum in priora fibras porrigit, cum suo coniuge toti abdomini inuolucrum efformans. Secundus obliquè sursum in anteriora fibras mittit, & cum suo pari inuolucrum quoque abdomini constituit. Tertius rectà fibras sursum ducens, à pubis osse ad pectus conscendit. Quartus transuersim fibras digerit, ac cum suo pari etiam, ut & obliqui, inuolucrum abdomini extruit, ad thoracis constrictionem non minus quàm cæteri abdominis musculi suppetias ferens. Cubitum duo flectunt, quorum anterior unum caput à scapulæ ceruicis elatiori sede, alterum ab interno scapulæ processu mutuatur, & illis efformatus capitibus in radium inseritur. Posterior à brachij osse enatus, in anteriorem cubiti articuli sedem, potissimùm uerò in ulnam inseritur. Extendunt autem cubitum tres, ac unus ab humiliori scapulæ costa nascitur, secundus à brachij ossis ceruicis posteriori sede. hi in descensu inuicem connascuntur, & ipsis tertius admiscetur, à media ferè longitudine ossis brachij enatus, & simul cum illis in posteriorem ulnæ processum insertus. In interna cubiti sede gracilis reponitur musculus, qui ab interno ossis brachij tubere pronatus, in latum degenerat tendinem, internę summæ manus cuti magna ex parte subnatū: cuius beneficio ea cutis minus uersatilis, & ad tangendū aptior reddi credit̄. Radius in pronū duobus musculis ducitur. uno quidēab interna cubiti articuli sede enato, & in radiū obliquè implātato: altero autē iuxta brachiale ab ulna in radiū transuersim ducto. In supinū uerò radius alijs duobus fertur, uno quidem longo, & à brachij osse ad inferiorem radij partem, cui brachiale articulatur, pertinente: altero ab externa cubiti articuli regione ad mediam radij longitudinem obliquè exporrecto, ibidem'que inserto. Brachiale quatuor præcipuis agitur musculis, ac duo primi ab interno tubere brachij ossis pronascuntur, & unus postbrachialis ossi indicem sustinenti, alter uerò brachialis minimo ossi implantatur. tertius à brachij osse enatus, bifido tendine in postbrachialis ossa indicem & medium sustinentia inseritur. quartus ab externo brachij ossis tubere pronatus, ac ulnæ exporrectus, in postbrachialis os paruū sustinens digitum insertionem molitur. Duo primi simul brachiale flectunt: tertius uerò & quartus simul contracti, id extendunt. Verùm primo simul cum tertio tenso, brachiale in internum latus agitur: secundo autem & quarto unà laborantibus, id in externum latus inclinatur.

Digitos manus mouentium primus ab interna anteriori'q; cubiti articuli sede enatus, ante brachialis radicē in quatuor diffcinditur tendines, secundis quatuor digitorum internodijs insertos, illa'q; flectentes. Secundus ab eadem sede cū primo, sed magis decliuè, originem ducens, primo substernitur, in quatuor etiam diremptus tendines, qui primi tendinibus subiecti, ante secundi digitorū internodij radicem eos tendines perforāt, tandem'q; in tertia quatuor digitorū ossa insertionem molientes, ea flectunt. Tertius à radio iuxta cubiti articulum enatus, tertio pollicis articulo inseritur, ipsius'que flexus autor euadit. Tertium musculum, in serie alij tredecim numero sub sequuntur, in extrema manu repositi, quorum bini primo singulorum quinque digitorum ossi inseruntur, eius flexionis opifices, & tres secundo pollicis internodio potissimùm inserti id quoque flectunt. Decimusseptimus itaque digitos mouentium ab externo brachij ossis tubere natus, & indici, medio ac anulari præcipuè implantatus, eos digitos extendit. Decimusoctauus ab eadem qua nuper dictus sede prodiens, parui digiti extensionis primarius autor est, & uariè cum decimiseptimi tendine tribus anularis digiti ossibus inserto commixtus, etiam abductioni uersus exteriora nonnihil inibi subseruit. Decimusnonus cum illo qui uigesimusprimus erit, commune principium ab ulna, non procul à brachialis sede nanciscitur: & in duos ferè diffectus tendines, unum exteriori indicis, alterum medij lateri digerit, illorum'que digitorum in externum latus abductionis autor censetur. Vigesimus à brachiali pronatus, & externo postbrachialis ossis paruum sustinentis lateri exporrectus, primo'que eius digiti ossi insertus, illum extrorsum in latus abducit. Vigesimusprimus externo lateri exterioris pollicis regionis ad tertium usque articulum implantatur, pollicis uersus indicem extensionis autor. Vigesimussecundus ab ulna paulo superiùs quàm nuper dictus prodit: & mox bipartitò scissus, una portione in tendinem cessat, brachialis ossi pollicem sustinenti insertum, & ductum, quo manus radij motum in pronum sequitur, adiuuantem. Altera autem pars in duas rursus dirimitur, quæ singulæ unum efficiunt tendinem: & hæc quidem suum tendinem primi pollicis ossis exterioris sedis interno lateri inserit: illius uerò partis tendo illi ossi tantum obnascitur, in secundum & tertium pollicis os insertus. Horum tendinum beneficio pollex introrsum uersus extenditur. Vigesimustertius ad internū primi pollicis ossis latus sedem obtinens, pollicē ab indice insigniter abducit. Vigesimusquartus ab osse postbrachialis indicem suffulciente enatus, & primo pollicis ossi præcipuè insertus, pollicem indici proximè adducit. Supersunt adhuc quatuor graciles musculi, quatuor tendinibus secundi digitos mouentium musculi in uola attensi, & in internum latus primi quatuor digitorum ossis inserti, eorum'que digitorum ad pollicem in latus adductionis ministri. Reponuntur itaque in interna cubiti sede musculus, latum manus efficiens tendinem, primus & secundus brachialis motuum autores, primus secundus & tertius digitos mouentium, & duo radium in pronum ducentes. In externa autem sede consistunt decimusseptimus, decimusoctauus, decimusnonus, uigesimusprimus, uigesimussecundus digitos mouentium, & tertius & quartus brachialis motibus præfectorum, & duo radium in supinum agentes, sunt'que omnes numero nouem. Verùm decem consurgent, si à uigesimo secundo digitos mouentium illam portionem distinxeris, quæ brachialis ossi pollicem sustinenti tendinem offert. In extrema manu obseruantur decem musculi, primos articulos digitorum flectentes, & tres secundi pollicis internodij flexus autores, & deinde digitos agentium uigesimus, uigesimustertius, uigesimusquartus, & quatuor musculi quorum beneficio quatuor digiti pollici adducuntur. Singuli uirorum testes cum suis seminalibus uasis tunica obducuntur à peritonæo pronata, & aliquot rectis carneis'q; fibris enutrita, infimæ'que semen deferentis uasis sedi inserta. His fibris testi[n] unus constituitur musculus, cuius ope testis obscurè sursum uellitur. Sic & membranæ uterum firmantes, utrinque carneis donantur fibris, hac'que ratione uterus utrobique unum possidet musculum, cuius auxilio leuiter sursum uersus ilia contrahitur. Vesicæ ceruici unus orbiculatim obnascitur musculus, intempestiuam urinæ excretionem prohibens. Item alius quoque[o] musculus recti intestini finem circulatim ambit, immaturæ egestioni præfectus, & duo alij musculi post egestionem rectum intestinum alacriter sursum attollunt. Penis radici utrinque à pubis osse gracilis inseritur musculus, nimis quàm segniter ad ipsius tentiginem iuuans. Quinetiam ab anteriori sede musculi rectum intestinum orbiculatim amplectentis, duo enascuntur musculi, inuicem sibi proximi, & urinæ meatui, quà is sub pubis ossibus sursum reflectitur, implantati, meatum'que in seminis eiaculatione quo minus ille ad flexum occludatur, dilatantes. Primus femur mouentium ab ilium ossis extima sede, & coccygis ossis posteriori regione enatus, posteriori magni femoris processus sedi, & eius quoque radici ampla insertione innascitur. Secundus sub primo magna ex parte reconditus, magis'que ab anteriori ilium ossis sede pronatus, etiam magno femoris processui inseritur. Tertius secundo longè minor, ipso'q; penitus occultatus, ab ilium osse iuxta posteriorem coxendicis acetabuli sedem enascitur, magno etiam femoris processui insertus, & ut duo priores femur extendens, extrorsum'q; in latus agens. Quartus à tribus humilioribus ossis sacri ossibus pronatus, etiam magno processui inseritur, femur extendens, & extrorsum non parum circumducens. Quintus omnium corporis musculorum maximus, & pluribus partibus à coxendicis osse ac pubis principium ducens, posteriori'q; femoris sedi ad humiliora ipsius usque capita insertus, extensionis & rectæ stationis autor habetur, femur etiam introrsum agens, id'q; ipsius potissimū portione à pubis ossis humiliori sede pronata. Sextus à duabus infimis thoracis & aliquot superioribus lumborū uertebris initium capiēs, minori femoris processui inseritur, femoris flexus unà cum septimo autor: qui à tota interiori ossis ilium sede enatus, minori quoque processui elatiùs sexto implantatur. Octauus à pubis osse pronatus, sub minori processu femori longa insertione implantatur, id quidem flectens, nec non etiam impensè introrsum mouens. Nonus anteriorem pubis ossis foraminis sedem occupans, maiori'que femoris processui insertus, introrsum femur circumuertit: Decimus posteriorem interiorem'ue dicti iam foraminis sedem si-

bi

[m] τὸ διάφραγμα, ἢ φρένες, ἢ διάζωμα.

[n] ὁ κρεμαστήρ.

[o] ὁ σφιγκτήρ.

bi uendicans, & secundùm coxendicis ossis posteriora tutissimè reflexus, ac uelutì alijs musculis hîc pronascentibus adauctus, maiori'que femoris processui implantatus, femur extrorsum circumuertit. Tibiam agentium primus ab ilium ossis spinæ antica sede enatus, & admodum obliquè secundùm femoris internam sedem ductus,[p] anteriori tibiæ sedi inseritur, totius'que corporis gracilimus, & simul longissimus musculus efficitur. Secundus à pubis ossium commissura enatus, in eandem cum primo sedem inseritur. Tertius à coxendicis ossis appendice principium obtinens, in eam quoque sedem tibiæ implantatur. Quartus ab eadem sede coxendicis ossis pronatus, & portionem sui à femoris osse in descensu assumēs, tibiæ cum fibula articulo, sed potissimùm fibulæ inseritur. Quintus ab eadem etiam regione principium adeptus, in anteriorem tibiæ sedem cum tribus primis, uerùm minus decliuis, implantatur. Sextus ab ilium ossis spina pronatus, membranæ modo musculis os femoris amplexantibus obducitur, & potissimū ad exterius latus genu articuli inseritur. Septimus à radice magni femoris processus enatus, & externum femoris latus occupās, cum octauo & nono tendinem efformat, cui patella innascitur. Octauus enim à ceruice femoris & radice maioris ipsius processus originem ducēs, quasi totum femoris os proximè ambit. Nonus à coxendicis ossis tubere supra ipsius cum femore articulum, anteriori in parte cōspicuo originem sumens, & septimo & octauo instratus musculis, ad anteriorem genu regionem fertur: ac in tendinem degenerans, cum duobus nuper dictis unum constituit tendinem, anteriori tibiæ sedi ualidissimè implantatum. atque ita primus, sextus, septimus, octauus & nonus tibiæ extensionis opifices habentur, secundo interim, tertio, quarto & quinto tibiam liquidè extendentibus. Qui in poplite latitat musculus, & ab externo genu articuli ligamento in tibiæ os obliquè pertinet, tibiam non flectit, & si quid agit, obscurè motum imitatur primi radium in pronum mouentis musculi. Eorum qui pedem mouent, primus ab interno femoris capite iuxta genu articulum incipit, uti & secundus ab externo capite principium nanciscitur, ambo posteriorem suræ partem constituentes, & cum quarti pedem mouentis musculi tendine congredientes, in calcem inseruntur. Tertius exiguus est musculus, ab externo quoque femoris capite pronatus, & in poplitis regione adhuc in tenuissimum tendinem desinens, calcis ossis interno lateri insertum. Quartus, pedem mouentium maximus est, ac à fibulæ cum tibia coarticulatione incipiens, in ualidissimum desinit tendinem, cui duorum primorum tendo unitur, simul cum ipso calci insertus. Quintus musculus tibiæ ac fibulæ posteriori sedi proximè allocatus, ab ijsdem pronascitur ossibus, ubi illa primùm dehiscunt, & iuxta interioris malleoli posteriora tendinem educit in tarsi os, quod tesseram imitati ossi conterminum est, insertum. Sextus in anteriori tibiæ sede positus, à tibiæ osse quà illi fibula superiùs coarticulatur pronatus, tēdinem in radicem pedij ossis pollicem sustinentis inserit. Septimus à fibula principiū ducens, externum tibiæ latus occupat, ac tendinem sub pedis inferiora reflexum, pedij ossi pollicem suffulcienti inserit. Octauus septimo occulitur, atque à fibula etiam enatus, tendinē inserit radici ossis pedij paruum digitum sustinentis. Nonus pars est eius quem quatuor pedis digitos extendere mox dicturus sum: inseritur uerò ad m dium ferè longitudinis ossis pedij, ante paruum digitum positi. Primis quinque musculis pes extenditur, seu fortiter terræ admouetur, quamuis tertius musculus id inualidè præstet: & si quid ad pedis motum facit, eum in obliquum uersus interiora agit: sexto autē, septimo, octauo & nono pes flectitur, horum'que musculorum beneficio pes laterales motus, prout singuli agunt musculi, experitur.

Pedis digitos mouentium primus in planta totus collocatur, & infima parte membranam impensè crassam, & lato in manu tendini non absimilem pertinaciter obnatam possidet: & à calcis osse pronatus, secundis quatuor digitorum internodijs singulos tendines offert, eorum flexus autores. Secundus & tertius posteriorem tibiæ sedem perreptant, & secundus tibiæ ossi magis quàm fibulæ exporrectus, ab illo'que pronatus, tendinem in plantam mittit, qui in quatuor dissectus tendines, singulos quatuor digitorum tertijs ossibus inserit, primi musculi tendines, perinde ac in manu fit, perforantes, ea'que ossa flectentes. Tertius à fibulæ ad tibiam nexu enatus, & etiā fibulæ multum exporrectus, tendinem in plantam profert: à quo exigua portio tendinibus commiscetur, indicis & medij tertium internodium flectentibus: reliquus autem totus in secundum pollicis os inseritur, illius flexionis autor. Decem musculi his succedunt, qui insigniter mutuò implexi, ac pedij ossibus adnati, prima digitorum ossa flectunt, duobus musculis ad singulos digitos pertinentibus. Decimusquartus igitur, cuius pars nonus pedem mouentium censebatur, à tibiæ anteriori sede pronatus, in quatuor dirimitur tendines, qui quatuor digitis inserti, eorum extensionis autores censentur. Decimusquintus ab anteriori tibiæ sede etiā procedens, pollici inseritur, ipsius extensionis opifex. Decimussextus in superiori pedis sede reponitur, carnea'que est moles in quatuor diuisa tendines, quorum unus pollicis superioris sedis externo lateri implantatur, secundus indicis, tertius medij, quartus anularis: atque hi tendines eorum digitorum in externum latus abductionis opifices sunt. Decimusseptimus externum pedis latus occupans, & parui digiti primo ossi insertus, illum à cæteris remouet. Decimusoctauus interno pedis lateri exporrectus, pollicem à cæteris digitis abducit. Dein in pedis planta carnea consistit substantia, in quatuor graciles dissecta portiones tendinibus adhærentes, quorum ministerio tertia quatuor digitorum ossa flectuntur. Hæ portiones interno quatuor digitorum lateri ad primum articulum insertæ, eorum ad pollicem adductionis autores habentur. ac proinde si istas quatuor portiones quatuor musculorum uice enumeraueris, in tibiæ posteriori sede obseruabis primum, secundum, tertium, quartum pedem mouentium, secundum & tertium digitos mouentium, et sub illis quintum pedem mouentium. In anteriori uerò sextum, septimum, octauum, nonum pedis motuum autores, & decimumquartum, decimumquintum digitos mouentium: in pede autem habueris primum digitos agentem, & decem prima digitorum ossa flectentes, & decimumsextum, decimumseptimum, decimumoctauum digitos quoque mouentium, nisi decimumsextum in plures diuidere propositū esset. Porrò in musculorum enarratione passim ligamentorum non memini, quòd magna ex parte articuli inuicem respondeant. Omnibus enim articulis orbiculatim ligamentum ab uno osse in aliud, aut in cartilaginem, uel à cartilagine in os, aut cartilaginem in sertum priuatim obducitur, paucis'que articulis ligamenta accessere peculiaria. Vt in capitis articulo teres quoddam à dente secundæ ceruicis uertebræ in occipitis os ducitur, & secundùm dentis posteriorem sedem in prima uertebra unum transuersim fertur. Vertebrarum corpora ligamentis admodum cartilagineis committuntur, ascendentes uerò & descendentes eorundem processus ualidis quoque, sed tantùm ambientibus colligantur: dein in spinarum interuallis membraneum cōsistit ligamentum, sicut in cubito & tibia, ubi ossa hîc inuicem dehiscunt: insuper in pubis ossium foraminibus huius generis occurrit ligamentum, seu membrana potius. In humeri articulo tria peculiaria uisuntur, quorum primum teres est, & ab interno scapulæ processu enatum, in externum humeri caput fertur, alia duo ab elatiori ceruicis scapulæ sede enata, in idem caput pertinēt, & unū quoq; hîc ab interno scapulæ processu in summum humerū ducitur. In brachialis ossium inter se & cum postbrachialis ossibus connexu, ut & in pede, passim cartilaginea ligamenta interueniunt. A' sacro osse duo teretia in coxendicis os pertinent. Ex femoris superiori capite teres ligamentum in coxendicis acetabulum inseritur. In genu articuli medio cartilagineum consistit ligamentum, & dein in posteriori ipsius sede, & utrinque ad latera unum peculiare secantibus obuium est. Ex ligamentorum uerò transuersim tendinibus obductorum, tendines'que ne sua sede declinent, continentium numero, in interna brachialis sede unum consistit, & secundùm uniuersam internam cuiusque digiti sedem unum continuum habetur, iuxta brachialis radicem in externa radij & ulnæ sede sex occurrunt. In anteriori tibiæ sede iuxta talum unum quoque obseruatur, & tria inter calcem internum'que malleolum, dein unum inter calcem & externum malleolum. Sic & in interna inferiori'ue pedis digitorum sede, huius quoque generis ligamenta spectantur.

[p] ἀντικνήμιον

DE ORGANIS NVTRITIONI, *quæ ex cibo potuq; fit, famulantibus.* *Caput III.*



QVANDOQVIDEM homo propter semen genitale sanguinem'que menstruum, generationis nostræ primordia, & eorum quibus constamus materiam immortalis fieri nequiuit, immensus rerum Opifex, ut is quàm diutissimè uiuat, & species ipsius nunquam deficiens semper immortalis perseueret, solicitè machinatur. Vt enim ad debitum incrementum homo attingeret, ac illa quæ insitus calor perpetuò depascitur, quàm fieri posset proximè restituerentur, or-

gana nutritioni multifariam famulantia obtinuimus. Cibus namque dentibus, quò postmodum leuiori opera conficiatur, effractus, per inde ac potus ab ore in uentriculum, tanquam in promptuarium,
a οἰσοφάγος. per [a] uiam ducitur, quæ duabus proprijs tunicis tendi, atque in se concidere aptis formata, ex faucibus sub aspera arteria, ac dein secundùm thoracis uertebras per septum transuersum in superius, sinistrum'ue uentriculi orificium pertinet, & stomachus aut gula uo-
b κοιλία. catur. [b] Ventriculus uerò inter iecur & lienem sub septo repositus, & insigniter capax, & secundùm transuersum oblōgus, in sinistraque corporis sede quàm in dextra amplior, & duabus demum tunicis distendi contrahi'que idoneis, & tertio quodam inuolucro quod peritonæum educit intectis, efformatus: & compluribus uenis, arterijs ac neruis implexus, quod ab ore illi delatum est concoquit, ac
c πυλωρός. uelut in lacteum cremorem insita ui emutat, quem per suum [c] infe-
d ἔντερα. rius orificium ex elatiori sede dextri ipsius lateris exortum, in [d] intestina propellit. quæ corpora sunt teretia uno continuo'que ac innumeris orbibus gyris'que tortuoso ductu à uentriculo ad podicem pertinentia, & similiter ac uentriculus duabus proprijs tunicis extructa. quibus tertia à peritonæo accedit, non minus quàm duæ propriæ, laxari contrahi'que apta, non tamen undique pariter am-
e ἔκφυσις. pla. Intestinorum siquidem à uentriculo procedens [e] origo, secun-
f δωδεκαδάκτυλον. dùm uentriculi posteriora ad dorsum usque reflexa, & [f] duodenum nobis appellata, ac dein huic succedens intestinorum pars, quam
g νῆστις. h εἰλεός. [g] ieiunum dicimus, & ea quæ [h] ilium seu uoluulus nūcupatur, suisque orbibus ilia & sedem undique umbilico subiectam & conterminam implet, pari quodammodo constat amplitudine, quæ quum arcta sit, ut dictis nuper intestinorum partibus gracilium uomen in deretur, in causa fuit. Porrò intestinorum pars in quam ilei terminus cessat, impense crassa & ampla uisitur, ipsique appendiculum continuatur, instar lumbrici inuolutum angustum'que, & uno ore do-
i τυφλόν. natum, ideoque [i] cæcū dissectionis proceribus appellatum. Ipsa uerò crassa intestinorū pars à dextri renis sede ad iecoris cauū ascendens, hinc secundùm uentriculi fundum ad lienis sedem, & illinc secundùm sinistri renis sedem deuoluitur, & gyro quodam in sinistra pu
k κῶλον. bis sede reflexa, toto'que illo ductu [k] colum constituens, super ossis
l ἀπευθυσμένον, uel ἀρχός. sacri initium rectà deorsum ad anum fertur, [l] recti ac principis intestini nomen inibi obtinens. In hæc itaque intestina quicquid uentriculus confecit, depellitur, per uarios illorum gyros deuoluendum: uenæ autem quæ innumera serie à iecoris cauo unà cum arterijs à magna arteria deprompsis, inter duas membranas intestina
m ἀδένες. dorso colligantes, multa que pinguedine ac [m] glandulis abundan-
n μεσεντέριον, uel μεσάραιον. tes, & [n] mesenterium uocatas, in intestina pertingunt, ex ipsis (sed potissimùm gracilibus) intestinis, quicquid sanguini efficiendo idoneum est, simul cum aqueo tenui'que concoctionis uentriculi recremento exugunt, id iecori sanguificationis officinæ deferentes. Ipsum autem crassius & ineptum suctioni recrementū sensim in crassa colligitur intestina, illic tantisper asseruandum, donec hominem molestans, recluso rectū intestinū orbiculatim ambiente musculo,
o ἧπαρ. semel uniuersim'que hominis arbitratu egeratur. [o] Iecur in nullas diremptum fibras lobos'ue, ipsi subministrantium organorum elatissimam sedem occupat, ac uentriculo magna ex parte incumbens, septo'que transuerso proximè subditum, & magis dextram quàm sinistram corporis sedem implens, suprà gibbum, infrà cauum uisitur, accumbentium illi partium formæ ad amussim congruens, & multarum uenarum implexu, quibus propria iecoris substātia concreto nuper sanguini similis circunfunditur, efformatum, tenui'que inuolucro ab ipsius ligamentis quibus peritonæo firmatur procedente obtectum, neruulos'que duos & arteriam item unam admittens, & naturalis seu altricis, aut, ut Plato dicebat, uenereorum ciborum & potuum concupiscibilis animæ fomes. Cæterùm uenarum per iecur diffusarum una series in gibbo ipsius consistit, ad cauam
p πυλαία φλέψ. pertinens uenam, altera in iecoris cauo reponitur, [p] portæ uenæ caudicem constituens: quæ primum uesiculæ bilem flauam recipienti surculos duos promit, dein uentriculi posteriori sedi iuxta inferius ipsius orificium: inde uentriculi fundi dextræ parti ramus offertur,
q ἐπίπλοον, uel ἐπίπλουν. à quo ramuli in uentriculum & superiorem [q] omenti membranam sparguntur, quod membraneum est corpus sacculi modo extructum, & usis tutò deducendis præcipuè adaptatum: quanquam quum uenis arterijs'que & pinguedine illis affusa scateat, intestinorum quoque calori fouendo auxilietur. Instar circuli enim à dorsi medio sub uentriculi posteriori sede incipiens, per iecoris cauum ad fundum uentriculi (à cuius tertio inuolucro inibi pronascitur) ad lienis cauum, & hinc ad dorsi medium suo ueluti initio defertur. Hinc uerò sacculi instar deorsum protensum, anteriori intestinorum sedi obuoluitur, innatat'ue, colum intestinū quà uentriculo exporrigitur, mesenterij uice dorso committens. Cæterùm portæ caudex postquā omento suffultus, dictas nuper deprompsit propagines, in duos partitur truncos, ac dextrum qui grandior est, per mesenteriū uariè digestum, intestinis offert, prius duodeno intestino, & ieiuni initio ramum exhibens, glanduloso corpore huic intestinorum sedi exporrecto suffultum. Sinister truncus inferiori membrana omenti intextus, uentriculi posteriori sedi quà dextram dorsi partem respicit, paruam offert propaginem, dein etiam omenti inferiori mem-
branæ, mox [r] glandulis hîc uasorum turæ distributioni præfectis, r πάγκρεας, uel καλλίκρεας.
& colore carneis: dein secundùm posteriora uentriculi ramus ab illo ascendit, uentriculi dorsi medium spectāti sedi surculos primùm exporrigens, & coronæ ritu superius uentriculi orificium amplectens, à quo præter surculos deorsum sursumque depromptos, unus secundùm uentriculi posteriora ad inferius uentriculi orificiū prorepit. Ipse autem sinister portæ caudicis truncus sinistrorsum semper tendens, insignem hîc quoque promit uenam, omento & colo intestino implicitam: ille uerò in uarias sectus propagines, & sobolem adhuc humiliori omenti membranæ spargens, lienis cauo inscritur, ab ipsius propaginibus, antea quam lienem subeant, uentriculi sinistro lateri ramulos offerens: inter quos insignis occurrit, qui fundum uentriculi in sinistra sede perreptans, uentriculo & superiori membranæ omenti soboles deriuat. Venæ portæ autem soboles per iecoris substantiam distributæ, quicquid ab intestinis & nonnihil à uentriculo quoque iecori detulerunt, in se continent: ac iecur eius cremoris optimum concoquens, in sanguinem id emutat, suæ etiam concoctionis duplex recrementum, uti in uini omni'que concoctione alia fieri cernimus, obtinens: unum quidem crassius, quod ueluti sanguinis fæx & lutū censetur, atraque bilis uulgò ferè dicitur:
& per portæ uenā in [s] lienem ablegatur, qui ad sinistrum uentriculi s σπλήν.
latus ad inferiora posterioraque repositus, linguæ crassioris imaginem exprimit, accumbentium organorum formæ iecoris ritu congruens, & multis uenis ac item arterijs intertextus, quibus propria lienis caro lutoso sanguini similis, & tenui tunica, quam omentum porrigit, intecta obnascitur. Lien itaque crassius iecoris recrementum ad se allicere, atque in ipsius nutrimentum conuertere, & si quid sibi adaptare nequit, in uentriculum id eructare credimus. Tenuius autem iecoris recrementum, quod ueluti flos uini habetur, bilis fla
ua est, quam [t] meatus inter portæ & cauæ propagines per iecoris t πόροι χοληδόχοι.
substantiam digesti in se alliciunt, & sensim collecti in unum mea-
tum cessant: qui ex iecoris cauo eductus, in bilis [u] uesiculam pertinet, u κύστις χοληδόχος.
cauæ iecoris sedi instar oblongioris piri media ipsius amplitudine innatam, & corpore constantem distendi laxarique apto. In hac uesicula bilem asseruari dissectionis professoribus persuasum est, donec ipsa meatus peculiaris beneficio illam in duodenū intestinum protrudat: simul cum siccis uentriculi recrementis egerendam, ac intestina sua mordaci facultate ad propellendum irritaturam, atque à pituita illis insidenti liberaturam. Cæterùm sanguis dictis nuper excrementis repurgatus, ex angustissimis uenæ portæ ramis in arctissimas cauæ uenę propagines contendit, tenui aqueoque recremento, quod ex intestinis in iecur assumptum fuit, uehiculi loco utens. Id namque hactenus sanguinem concomitans, & simul cum sanguine in cauam uenam conscendens, sui in his angiportis insignem usum præstat. Quum uerò huc usque sanguini promptæ digestionis nomine astitit, & sanguis tantam ipsius copiam insuper non requirit, consonum fuit, ut id à sanguine alioquin onus ipsi futurum ex-
purgaretur: cui muneri [x] renes appositissimè famulantur, utrinque x νεφροί.
singuli ad uenæ cauę latera, & iecori proximè allocati, ac maximam serosi illius humoris portionem strenuè ad se allicientes, illam'que à sanguine excolentes. Quod quo opportunius moliantur, insignis uena & item arteria reni transuersim exporriguntur, ac renem in sinum membraneum & ampliter cauum, in multas'que dissectum propagines, serosum sanguinem excipit, & substantiæ renis illi sinui obnatæ, & duplici tunica obtectæ beneficio urinam expurgat, illam in a-
lium deducens sinum, quem [y] urinarius meatus uenæ modo con- y πόρος οὐρητήρ.
structus excipit, hanc in uesicam delaturus. [z] Vesica etenim rotun- z κύστις.
dæ lagenæ quodammodo ritu urinam sensim admittentis, ad posteriorem pubis ossis sedem posita, peculiari constat tunica simplici & neruea, triplici'que fibrarum genere intertexta, & contrahi ac distendi prompta, cui à [a] peritonæo abdominis'ue membrana, quæ a περιτόναιον.
hactenus dictorum organorum est inuolucrum & firmamentum, alia obducitur. In posteriorem uesicæ sedem haud procul ab ipsius ceruice, à singulis renibus singuli meatus admodum industriè inseruntur, ipsa'que tantisper urinam colligit, donec illa aut copia aut qualitate hominem molestans, recluso orbiculatim uesicę ceruicem ambiente musculo, uniuersim excernatur. Sanguis hac industria repurga-

repurgatus per cauæ uenæ ramos, ceu riuulos quosdam uniuerso corpori digeritur, ut singulæ partes sibi familiare ex sanguine emulgeant, id'que émutantes, & sibi apponentes, in proprium nutrimentum conuertant: ac demum huius concoctionis quoque recrementa à se proprijs functionibus abigant. Porrò [b] cauæ series eiusmodi plurimùm obseruatur. ubi ea in posteriori iecoris sede consistit, ex anteriori ipsius regione ramos promit, in iecoris gibbum numerosa serie digestos: sursum autem ascendens, ac septum transuersum cùm cordis inuolucro perforans, duas propagines septo largitur. Ad dextram cordis aurem caua ampliori orificio in dextrum cordis uentriculum dehiscit, quàm cauæ orbicularis amplitudo uspiam uisitur. A' posteriori eius implantationis (nisi mauis dicere exortus) sede, [c] uena prodit, cordis basim corone modo cingens, & deorsum per cordis superficiem ramulos digerens. Caua à corde sursum conscendens, ac cordis inuolucrum inibi prætergressa, [d] uenam paris expertem, & octo frequentius inferiora costarum interualla utrinque enutrientem, à dextro latere promunt. In iugulo autem totá bipartitò scinditur, ab ipsius anteriori sede pectoris ossi & interseptientibus thoracem membranis uenas offerens, abdominis superiora perreptantes. A' radice uerò alterius trunci factæ modò in iugulo bipartitionis insignis promitur uena, super primam costam in axillam procurrens, sed prius in thoracis cauitate ramum promẽs, in tria superiora sui lateris costarum interualla absumendum, & alium per transuersos ceruicis uertebrarum processus in caluariam usque porrigendum, & alium in posteriora thoracis iuxta ceruicis radicem sparsum. Præsens uena thoracẽ egressa, interdum hîc [e] humerariam promit uenam, & ramum musculis anteriori thoracis sedi instratis: alium posteriori sedi thoracis, & cauo scapulæ: & lateri thoracis alium digerit, in axillam festinans. Trunci autem in iugulo factæ bipartitionis reliquum in duos impares ramos discinditur, & horum interior graciliorque [f] internam iugularem constituẽs uenam, duabus propaginibus duram cerebri membranam adeuntibus, caluariã subit. Exterior uerò ab externo latere propaginem, ex qua humeralis uena constituitur, deducens, sursum conscendit, [g] superficiariam efformans iugularem uariè ad fauces usque excurrentem, & in linguam, laryngem, palatum, faciem, tempora & uerticem distributam, tribusque uenis caluariam ingredientem. Humeralis uerò priusquam sub clauicula & summo humero in brachium feratur, ramum posteriori ceruicis sedi, & alium scapulæ gibbo, & alium summi humeri superiori sedi exporrigit, & secundùm exterius latus musculi cubitum flectentium anterioris sub cute prorepens, surculosque graciles cuti depromens, supra cubiti articulum dissecta, aliquando unum ramum penitiùs latentem, & mox absumptum, ad cubiti articulum defert. alium sub cute obliquè ad cubiti flexus medium cum [h] axillaris uenæ ramo coiturum, [i] communemque uenam constituturum. tertium sub cute secundùm radium in posteriora cubiti, ac tandem ad brachialis radicem iuxta ulnæ extremum mittit, qui axillaris propagini inibi commixtus, parui & anularis digitorũ exteriora scandit. Axillaris in axilla latitans, & cuti anteriorem brachij sedem uersus interiora inuestienti ramum offerens, surculum præbet capitibus musculorum cubitum extendentium, & alium illorum mediæ propemodum longitudini, dein aliam propaginem cum quarto brachium petente neruo secundùm brachij posteriora ad cubiti usque exteriora ablegat. Mox in duas secta uenas, unam prorsus toto ductu in profundo submersam, ac arteria semper concomitatam, per cubiti articuli flexus medium deducit, quæ ante cubiti longitudinis medium in duas secta propagines, unam secundũ radium, alteram secundùm ulnam uersus brachiale porrigit. & hic rursus in surculos dirempta, in internam digitorum sedem ita digeritur, ut singulis digitis duæ offerantur soboles, & surculus quidam inter pollicis primum internodium & postbrachialis os indicem sustinens, ad manus externam sedem pertingat. Altera autem uena sub cute semper exporrecta, iuxta cubiti articulum in duos partitur ramos: quorum alter obliquè uersus cubiti articuli flexum contendens, cum humeralis ramo cõmiscetur, simul cum illo communem efformans uenam, quæ duabus illis [k] medijs uenis constituta, ac obliquè deorsum repens, radium'que tandem conscendens, in externa cubiti sede instar Y in duas discinditur soboles, quarum altera medij digiti potissimùm externam sedem petit, altera uerò pollici & indici offertur, surculum in internã manus sedem spargens, ramulis montem Veneri sacrum implicantibus commiscendum. At alter axillaris iuxta cubiti articulum factæ diuisionis ramus, uarias propagines in cubiti internam sedem depromit: quibus crebrò uena accedit, ab altero uenam communem constituentium ramo, quem axillaris porrigebat, enata. Hæ propagines admodum uariè modò coëuntes, modò rursus inuicem diremptæ, ac internam cubiti sedis cutem implicantes, tandem in internam manus cutem prorepunt. Cæterùm insignior eius rami propago ulnæ exporrecta, & in cubiti exteriora etiam surculos promens, iuxta brachialis radicem humerariæ ramo commiscetur, ad paruum digitum & anularem contendenti. Cauæ uenæ pars sub iecore deorsum repens, à sinistro latere ramum offert pingui renis sinistri tunicæ & locis reni conterminis. Dein singulis renibus magna depromitur uena. Ab elatiori sede uenæ dextrum renem petentis, quæ frequenter altiùs uena sinistro reni propria initiũ sumit, propago pinguẽ dextri renis tunicam accedit. Ab illius uerò quæ ad sinistrum proficiscitur renem, humiliori sede sinistra seminalis uena exoritur, dextra interim à cauæ caudice demissiùs multo principiũ ducente. Porrò ubi caua uertebris lumborũ innititur, geniculatim illis propagines dat, in musculos proximos et ad abdominis usque latera absumendas. Atque harũ illæ sunt præcipuæ, quæ à caua inibi pronascuntur, quà supra ossis sacri ad lumborum uertebras nexum in duos pares discinditur trũcos, quorũ sinister perinde ac dexter surculos quosdam ossis sacri foraminibus offert: & in duos partitur ramos, quorum interior propaginem mittit in musculos exhauriendam, qui ossis ilium & sacri posteriorem sedem occupant, & aliam deriuat in uesicam, & penem, & mulieribus in uterũ multiplici sobole pertinentem. Quod reliquum eius rami est, ab externo ramo portiunculam assumens, per pubis ossis foramen in femur ducitur, cuti & musculis internam femoris sedem occupantibus surculos exhibens, & ante genu articulum cessans, suoque termino cum alterius crus petentis uenæ ramo, ut mox dicam, coiens. Exterior namque ramus sinistri cauæ trunci per inguina femur aditurus peritonæo propaginẽ offert, in inferiorem abdominis sedem ad umbilicum usque absumendam: in femur uerò procidens, pubis cuti & pudendi muliebris colliculis sobolem porrigit. Verùm insignem uenam per femoris & genu & tibiæ interiora, sub cute ad pedis usque digitorum summũ diffundit, in progressu sparsim cuti ramusculos depromentem. Aliam quoque sub cute ad coxendicis articuli anteriora deriuat. ipse autem penitiùs inter musculos submersus, propaginem communicat musculis, & cuti in externa femoris sede locatis, & aliam offert musculis internã anterioremque femoris sedem sibi uendicantibus. Atque cum hac propagine extremũ uenæ eius coit, quæ per pubis ossis foramen descenderat. Hinc grandis uena secundùm femoris posteriora retorquetur, propagines eius sedis musculis communicans, à quibus ramuli in cutem pertinent, tum sursum, tum deorsum ad suram usque excurrentes. Inter inferiora uerò femoris capita grandis hæc uena in duos scissa truncos, minorem exterioremque uersus fibulam deriuat, à quo præter soboles anteriorem genu sedem petentes ramus discinditur, sub cute externam tibiæ sedem uersus posteriora obtegente, ad digitorum usque superiora uariè dissectus. Quod uerò reliquum est, altius inter musculos externæ fibulæ sedi attensos occultatum, ultra tibiæ longitudinis medium properat. Interior autem truncus insigniter amplus, ramum dispensat secundùm internam tibiæ sedem uersus posteriora sub cute ad pedis usque digitos dispersum. Deinde alium depromit, per suram nonnihil reconditum, ad calcem usque pertingentem. Quod uerò huius trunci præcipuum est, musculos posteriorem tibiæ sedem occupantes subit, & ab anteriori ipsius regione ramum per ligamentum membraneum demittit, fibulam tibiæ alligans: atque is sub anterioribus tibiam integentibus musculis absconditus, ad pedis usque superiora pertingit. Ipsa autem uena secundùm posteriora descendẽs, & hinc inde cuti & conterminis musculis ramulos offerens, tandem inter calcem & tibiam pedis inferiora subit, inibi in musculos & digitos in eum modum distributa, ut duæ soboles singulis offerantur.

[b] κοίλη φλέψ.
[c] στεφανιαῖα.
[d] ἄζυγος.
[e] ὠμιαία, aut κεφαλική.
[f] ἡ ἐντὸς σφαγῖτις.
[g] ἡ ἐπιπολῆς σφαγῖτις.
[h] μασχαλιαία.
[i] κοινή.
[k] μέση.

DE CORDE, AC ORGANIS ipsius functioni subministrantibus. Caput IIII.



ORGANORVM, quæ insito nobis calori recreando, & spiritibus restituendis enutriendisque fabricantur, [a] cor irascibilis animæ sedes facilè præcipuum censetur, instar nucis pineæ anteriùs ac posteriùs compressæ effigiatum, et sua basi sub pectoris ossis medio collocatum, suoque mucrone in sinistrum latus impensè antrorsum uergens, substantiaque constans carnea, sed quàm musculorum

[a] καρδία.

rum est substantia duriori & triplici fibrarum genere intertexta, ac uenis arterijsq́ proprijs donata. Dein cor duos [b] sinus seu uentriculos possidet, quorum alter in dextro consistens latere, amplior ac rariori tenuioriq́ cordis substantia obductus cernitur, & cauæ uenæ orificium ad hunc pertinet, cui tres membranæ introrsum ductæ præficiuntur. Quinetiam uas arteriæ constans corpore, sed uenarum munere fungens, ac proinde [c] arterialis uena appellatum, ab illo uentriculo egreditur, in ipsius orificio tres quoq́ exigens membranulas extrorsum spectantes. Alter autem uentriculus in sinistro repositus latere, & crassa præcipuaq́ cordis substantia circundatus, etiam duobus donatur orificijs, quorum humilius uasis cuiusdam est, arteriæ, quod ad aërem attinet, usum præstantis, at uenæ corpore efformati: & proinde [d] uenalis arteria appellati, & in ipsius orificio duas membranas introrsum conniuentes exigentis. Elatius uerò orificiũ arteriæ magnæ dedicatur principio, cui etiam tres membranas Natura elargitur extrorsum respicientes. Atq́ hi sinus [e] septo interstinguuntur impensè crasso, & comprimi distendiq́ apto, & intus foueis plurimis (ut & cordis uentriculi) abundanti corpore extructo. Totum uerò cor membraneo quodam [f] inuolucro tegitur, ipsi nulla ex parte connatum, & corde multo ampliori aqueoq́ humore intus rorato. Hoc exterius inferiori sua sede septo transuerso non mediocri amplitudine connascitur, in lateribus autem duabus continetur [g] membranis cauitatẽ thoracis intersepientibus, & inuolucrum hoc, ut cor in sua sede seruaretur, suffulcientibus. [h] Pulmo autem reliquam thoracis cauitatem, quam cor & dictæ nuper membranę & stomachus deorsum descendens non occuparunt, implet, undiq́ sese accumbentium partium formę iecoris modo adaptans, ac proinde bubulo, aut alioquin bisulco pedi admodum similis, & primùm dextra parte & sinistra conformatus: quæ rursus singulæ in duas fibras lobos'ue diremptæ, multis uasorum implexibus extruuntur. [i] Asperæ namq́ arteriæ à faucibus (ubi etiam [k] tonsillæ & alia duo glandularum genera consistunt) in thoracem deductæ, & ut uoci famularetur partim cartilagineæ: ut uerò concidere distẽdiq́ apta efficeretur, ac respirationi subseruiret, partim membraneæ, rami pulmonẽ passim implent: & arterialis uena à dextro cordis uentriculo familiarem sanguinẽ pulmoni præparãte, procedens, eumq́ sanguinem pulmoni offerens, innumera serie in pulmonem distribuitur, similiter ac uenalis arteria frequenti serie pulmonem implicans. Atq́ his uasis fungosa, mollis, spumea & admodũ sequax propriaq́ pulmonis substantia circunfunditur, quam tenuis admodum & pulmonis dilatationem compressionemq́ haud prohibens tunicula proximè ambit, [l] tunicæ costas succingenti semper attigua. Cæterùm quia pulmo thoracis motum è nostro pendentem arbitratu, uacui beneficio sequens dilatatur, ua cui etiam ratione extrinsecus nos ambiens aër per nares secundùm [m] gargareonem: & quum uehementiùs aërem ducimus, is per os etiam ueluti in follem attrahitur, ipsius portiuncula per caluariæ foramina cerebrum petens, & reliqua portione per fauces in asperam arteriam subintrans, & pulmonis cauitatem ex ipsius dilatatione factã ad amussim implens. Hunc aërem pulmonis substantia insita ui alterat, cordisq́ usibus aptans, optimam sui portionem à uenalis arteriæ ramis undiq́ asperæ propaginibus attensis assumi permittit, ut eius arteriæ interuentu aër in sinistrum cordis sinum deferatur, spiritus uitalis idonea futurus materia. Cor enim hunc aërem attrahens, & in sinistrum ipsius uentriculum magnam sanguinis copiam à dextro alliciens, ex halituoso eius sanguinis uapore, & illo aëre, propria uirtute ipsius substantiæ insita spiritum conficit, quem sanguine impetu ruente, concomitatum forumq́ per magnam arteriam uniuerso corpori distribuit, & natiuum cuiusq́ partis calorem ita temperat, quemadmodum respiratio cor insiti caloris fomitem recreat: itaq́ idem usus fit respirationis & pulsus, quo arteria magna cordis rhythmo dilatatur & cõstringitur. Ad spiritum igitur conficiendum cor aere utitur, ipsoq́ illius feruidus calor temperatur. Verùm quicquid in hac spiritus cõfectione fuliginosum spirituiq́ efficiendo ineptũ est, per uenalem arteriã in pulmonẽ reduci, atq́ hinc cũ aere qui in pulmone reliquus erat, compresso thorace excerni, dissectionis professoribus est concessum. Adeò sanè ut cor indefessa ipsius dilatatione sanguinem in dextrum ipsius uentriculum à caua attrahat, ut is partim in sinistrũ uentriculum ducatur, partim uerò in aptum pulmonis nutrimentũ ab ipso amicè preparetur, & contracto corde per arterialem uenam pulmoni offeratur. Cor uerò dilatatum in sinistrum uẽtriculum ex pulmone aerem assumit, constrictũ uerò spiritum uitalem unà cum sanguine impetu ruente in magnã arteriam propellit. Quò minus autem rapida cordis attractio uenæ cauæ & uenali arteriæ noxam inferret, Natura cordis [n] aures creauit, uelut promptuaria cordi appositas. Quatuor autem cordis uasorum orificijs membranas arbitramur præfectas, ne irritus cordis labor fiat. Membranæ enim cauæ & uenalis arteriæ orificijs præfectæ, impediũt quo minus in cordis contractione sanguis in cauam, & spiritus uitalis in uenalem arteriã refluant. illæ uerò quæ in arterialis uenæ & magnæ arteriæ orificijs habentur, obstant quo minus in cordis dilatatione sanguis pulmoni oblatus, & spiritus uitalis iam emissus, in cor denuò regurgitent. Porrò [o] magna arteria simulatque è corde pronascitur, duas educit propagines cordis basim cingentes, deorsum ramulos per cordis substantiam spargentes. ipse autem arteriæ caudex paulo supra cor in duos sectus truncos, grandiorem sinistrorsum ad spinam detorquet, à quo utrinq́ rami ad octo humiliores costas exporriguntur. Quum uerò is sub septo deorsum fertur, huic quoq́ propagines offert, mox ab una radice omento, uentriculo, iecori, bilis uesiculæ, colo intestino, & demũ lieni soboles offerens, uenæ portæ ramis concomitatas. Dein aliam radicem truncus hic in mesenterium dispensat, & utrinq́ renibus unam deriuat nonnihil inferius, ab ipsius anteriori sede seminales producens arterias, & dein adhuc demissius mesenterio alium ramũ exhibens, & in progressu uertebris lumborum ipsisq́ accumbentibus musculis surculos depromens. Ad sacri ossis initium, & si arteria prius cauæ in sinistro latere subijciatur, cã quo tutior prorepat cõscendit, & eodem cum caua modo hîc bipartitò scinditur, parem cum illa ad extremum usq́ pedis distributionẽ in profundo faciens. quippe nullus huius arteriæ magnæ trunci ramus cutem subit. Verùm id priuatim huius trũci propagini per pubis ossis foramen procedenti accidit, quod illi arteria committitur, quæ ab umbilico secundùm uesicæ latus descendens, fœtui propria censetur. Arteriæ magnæ caudicis truncus superiora petens, statim à sinistro ipsius latere ramum promit, obliquè ad elatissimã thoracis sui lateris costam protensum, à quo primùm propago superioribus costis offertur, & dein alia transuersis processibus uertebrarũ ceruicis, quæ postmodum in duram cerebri membranam exhauritur. dein alia sinistro pectoris ossis lateri exhibetur, quæ in alto sem per condita, ad umbilicum usq́ pertingit. Vbi uerò ramus ille thoracis cauitatem superauit, surculum posteriorem ceruicis sedem occupantibus musculis transmittit, & similiter ut axillaris uena ad digitorum usq́ extrema digeritur, si axillaris ramos cutem subeuntes exceperis, ac in alto latitantes solùm hîc intellexeris. Cæterùm insignior portio dicti nuper magnæ arteriæ trunci ad iugulũ ascendẽs, in duos impares ramos partitur. sinister, qui & gracilior est, sinistri lateris [p] soporalem constituit arteriam: dexter uerò, ab ipsius dextro latere ad primam costam propaginem deriuat, eodem prorsus modo absumendam, quo ramus ille qui obliquè primam sinistri lateris costam adire dicebatur. Verùm dextri rami reliquum, huius lateris soporalem efformat arteriam, quæ similiter atq́ sinistra secundùm asperæ arteriæ latus fauces petẽs, ramum porrigit in faciem penitiùs & in temporum cutem ad uerticem usq́ absorbendum. ipsa autẽ laryngi & linguæ & triplici hîc reposito glandularum generi soboles offerens, caluariam adit, & in duas diuisa propagines, minorem in primum dextrum'ue durę membranę sinum exhauriendam mittit. grandior absq́ uenæ coniugio per proprium foramen in caluariam mergitur, atq́ hîc mox in duræ membranæ latus soboles ab ipsa deriuantur, & alia per peculiare foramen ad narium amplitudinẽ uersus nasi extremum contendit: ipsa autem propago caluariæ basi instrata, & in nullum tamen plexum reticularẽ digesta, antrorsum fertur, & ramum cum secundo pari neruorum cerebri ad oculum depromens, sursum ascendit, duram cerebri membranã perforans, & partim in tenuem membranã hîc absumpta, partim uerò in dextrum cerebri uentriculum repens, plexus eius in hoc uentriculo repositi, ac extimo fœtus inuolucro comparati portionem efformat, uitalemq́ spiritum cerebro offert, ut ex illo cerebri beneficio animalis spiritus, uti nunc dicam, præparetur.

DE CEREBRO, ET ORGANIS *cerebri officiorum nomine extructis.*

Caput V.



EREBRVM [a] animalis ac principis facultatum sedes in caluaria reponitur, formam cauitatis quam occupat concinnè referens, ac superiori sede secundùm capitis longitudinem, ac anterius posteriusq́ in dextram partem & sinistram diremptum, in ipsius autem basis medio continuum. Vbi [b] dorsalis medullæ ab ossium [c] medulla plurimùm differentis producit initium. cui rursus [d] cerebellum

Margin notes: b κόλποι, sive κοιλίαι. — c ἀρτηριώδης φλέψ. — d ἀρτηρία φλεβώδης. — e διάφραγμα τῶν καρδιῶν. — f περικάρδιον. — g διαφράττοντες ὑμένες. — h πνεύμων. — i τραχεῖα ἀρτηρία. — k παρίσθμια. — l ὑπεζωκὼς χιτών. — m γαργαρεών. — n παραθήκαι. — o ἀορτή. — p καρωτίδες. — a ἐγκέφαλος. — b νωτιαῖος μυελός. — c μυελός. — d παρεγκεφαλίς.

bellum unitur, decuplo ferè minus cerebro, ac posteriori illius parti omnino subiectum, neque magis retrorsum quàm cerebrum ipsum uergens. Atque hæc uniuersa cerebri [e] dura amplectitur membrana caluariam proximè succingẽs, & per suturas caluariæ fibras porrigens, quæ in peculiare [f] inuolucrum caluariæ degenerant. Hæc membrana tantum à [g] tenui cerebri membrana distat, ut uasorum ipsius motum non præpediat, processum mittens inter dextram cerebri partẽ & sinistrã, & item aliũ inter sedem cerebelli elatiorem & cerebrum quà cerebello innititur. Huic membranæ quatuor præcipui insunt sinus, uenarum arteriarum'que usum simul subeuntes, & uariam uasorum seriem in tenuem cerebri membranam digerentes. Cerebri enim substantiæ, quæ continua, alba, & nullis uenis intertexta est, tenuis quædam membrana uicinissimè obducitur, quæ passim in cerebri reuolutiones intestinorum anfractibus simillimas se implicans, uasa cerebri continet. Cerebrum uerò tribus insignibus et impensè amplis donatur cauitatibus seu uentriculis, quorum unus secundùm cerebri longitudinem in dextra cerebri parte consistit, qui ex posteriori sede deorsum per cerebri substantiam reflexus, ad medium usque basis cerebri perfertur. Secundus huic prorsus respondens, in sinistra cerebri parte collocatur, & ambo quà internis lateribus se inuicem spectant, superiori sede tenui quadam cerebri substantia mutuò distinguuntur, quam [h] septum nuncupamus, & quæ superius continuatur cerebri portioni, quæ quòd cæterarum cerebri partium in superficie positarum subdurior & magis candicans sit, [i] callosum corpus appellatur. Humilior autem septi sedes unitur continua'que est cerebri [k] parti quæ instar fornicis testudinis'ue extructa, utrinque ex posteriori duorum primorum cerebri uentriculorum sede, ampla basi pronascitur, & sensim antrorsum procedens, ueluti in acutum trianguli uerticem coarctatur, humiliori sua sede qua modò recensendæ cauitati incumbit, instar fornicis cauata. Humiliores enim dictorum uentriculorum sedes inuicem septo non interstinguuntur, uerùm in communem sinum conueniunt, sub corpore instar fornicis formato repositum, & uno insigni meatu rectà deorsum per cerebri substantiam pertinentem in infundibulum seu [l] peluim à tenui membrana instar infundibuli extructam: quà cerebri pituita per illum meatum descendens, glandi quadratæ & ossi cuneum imitanti superstratæ instillatur, illinc ad [m] palatum & narium amplitudinem per insignia, non autem spongiæ modo pertusa, foramina defluens. Ista communis dextri & sinistri uentriculorum cauitas tertius cerebri est uentriculus, posteriori sua sede in meatum desinens, qui per cerebri corpora [n] testibus & [o] natibus non absimilia, in quartum uentriculum contendit, qui communis est cerebello & dorsalis medullæ initio, anteriori ac posteriori sede cerebelli [p] processu ornatus, quem ex anfractuum imagine uermi in lignis nato comparamus. Verùm in hoc uentriculo, quemadmodum in tribus uentriculis prioribus, nullum peculiare corpus secantibus occurrit. In dextrum nanque uentriculum (similiter ac in sinistrum) per ipsius inferiorem posteriorem'que sedem soporalis arteriæ insignior ramus conscendit, [q] plexum efformaturus, quem extimo fœtus inuolucro comparamus. Is enim ab illo arteriæ ramo & eius uasis portione constituitur, quod [r] glandulæ nucis pineæ instar effigiatæ, & cerebri testibus incumbenti suffultum, ab extremo quarti duræ membranæ sinus secundùm cerebelli longitudinem exporrecti, per tertium cerebri uentriculum ducitur, & ab eo sinu tanquam à [s] torculari, uenæ arteriæ'que materiam suscipit, deinceps in duas portiones dissectum, una in dextrum uentriculum, altera in sinistrum pertinet, ac cum arteriarum ramis eò peruenientibus, dictum nuper plexum in utroque uentriculo constituit. Ex hoc uitali spiritu in illo plexu cerebri munijs adaptato, ac ex aere quem inspirantes in cerebri uentriculos allicimus, cerebri substantiæ insita uis spiritũ animalem conficit, quo cerebrum ad principis animæ functiones partim utitur: partim uerò per neruos ab ipso pronatos, ad organa spiritu animali indigentia (quæ potissimùm sensus ac motus uoluntarij sunt instrumenta) transmittit, non mediocrem ipsius portionem à tertio uentriculo sub testibus cerebri in uentriculum cerebello & dorsali medullæ communem diffundens, quæ postmodum neruis omnibus à dorsali medulla ortum ducentibus digeritur. A cerebri enim basis medio utrinque unus nascitur processus longus & teres, & secundùm cerebri basim antrorsum ductus, & altero sinui octaui capitis ossis incumbens, & olfactus organo proprius: uerùm quoniam ex caluariæ amplitudine non procidit, nerui nomine à Dissectionum professoribus non donatus. Primum enim septem quæ cerebro asscribuntur pariũ paulo posteriùs quàm dicti modò processus neruorũ substantiæ respondentes, initium à cerebri basi ducit, uisorios constituens neruos, qui in oculi [t] tunicam retis imagini similem degenerant. Oculus namque in centro habet [u] crystallinum humorem, cuius anteriori sedi [x] tunica tenuissimæ ceparum pelliculæ correspondens obnascitur. Posterior autem eius humoris regio à [y] uitreo humore continetur, cuius posteriorem ambit sedem inuolucrum cerebri substantiæ respondens, in quod uisorij nerui substantia dissoluitur. Tenuis autẽ cerebri membrana neruum uisorium inuestiens, in [z] tunicam dilatescit uuæ folliculo perquàm similem: quippe ipsa uniuersum oculum amplectens, anteriori sedi foramine eò peruia cernitur, quod [a] pupillam dicimus. Dura autem cerebri membrana neruo etiam uisorio circundata, in [b] duram oculi tunicam finitur, toti oculo obductam, & in anteriori sede oculi cornu modo [c] pellucidam, quæ [d] iride seu maiori oculi circulo circumscribitur, ad quem [e] alba adhærens'ue oculi tunica anteriori oculi sedi obnata desinit. Porrò inter corneã hanc & anteriorem crystallini humoris sedem [f] aqueus habetur humor, qui à uitreo tunica quadam tenui & ciliorum imaginem exprimenti, & orbiculatim crystallino humori adnata, atque ab uuea principium obtinente distinguitur. Secundum neruorum par mouendis oculorum musculis seruit. Tertium duabus radicibus inuicem distantibus utrinque enascens, minorem digerit quadam portiuncula ad frontis cutem, & quadam ad superiorem maxillam superius'que labrum, & quadam in narium amplitudinem, & quadã ad musculos maxillam inferiorem attollentes. Maiorem autem radicem tertium hoc par linguæ exporrigit, hęc'que illius beneficio gustus instrumentum efficitur. Verùm ab hac etiam radice ramus capreoli modo intortus dictis nuper offertur musculis, & alius superioribus dentibus, alius'que inferiori maxillæ ac dentibus illi infixis, & inferiori tandem labro. Quartum par in palati cessat tunicam. Quintum duplici quoque radice, ut & tertium par, prodiens, minorem musculis maxillam inferiorem attollentibus dispensat, crassiorem uerò auditus organo offert, quamuis & ab hac binas dispergit soboles per diuersa foramina in commemoratos modò musculos etiam pertinentes. Sextum par præter ramusculos ab ipso quibusdam in ceruice musculis & laryngi in descensu oblatos, septimi paris portione adaugetur, atque iuxta pectoris ossis summum soboles quasdam illinc prodeuntibus musculis præbens, ramum costarum radicibus deducit, in organa sanguificationi subministrantia pulchrè digerendum. Ita hactenus uterque sexti paris neruus pariter distribuitur. Dexter uerò priuatim sui portionem ad arteriam dextro brachio exporrectam retorquet, à quo neruus consurgit secundùm asperæ arteriæ dextrum latus ad laryngem proficiscens, ob id'que neruus [g] recurrens nuncupatus. Quod autem reliquum ab hoc dextro neruo descendit, pulmonis dextræ parti & cordis inuolucro ramusculos offert, ac stomacho tandem commissum, septum'que permeans, uentriculi superioris orificij sinistram sedem multis propaginibus donat. Sinister autem neruus ad arteriæ magnæ truncum dorso explicatum, portiones suas reuersiuum sinistri lateris neruum constituentes retorquet. Ab huius lateris neruo peculiariter cordi gracilis propago digeritur: quod autem eius adhuc restat, dextram superioris orificij uentriculi sedem intertexit, secundum uentriculi superiora ramulum ad iecur usque mittens. Septimum par præterquàm quod sextum impensè auget, præcipuè in laryngis & linguæ musculos absumitur. Nerui à dorsali medulla in uertebris conclusa principium ducentes, triginta complectuntur paribus: quorum septem ceruicis dedicantur uertebris, duodecim thoracis, quinque lumborum, sex sacro ossi, nullo interim neruo à coccyge osse prosiliente. Quæ à ceruicis labuntur uertebris, in musculos ipsis adnatos proximos'que digeruntur: & à quarto, quinto & sexto parium surculis utrinque unus efficitur neruus, septo transuerso proprius: dein à quinto, sexto, septimo, & dein ab octauo ac nono, seu primo secundo'que thoracis paribus, uarius neruorum consurgit textus, à quo in brachium sex nerui pullulant, præter uarias soboles scapulæ cauo & gibbo dispersas. Ac primus brachium petens neruus ab ipsius propaginibus, quas brachium attollenti offert musculo, sobolem impensè gracilem in cutem brachij externæ sedi obductam digerit. Secundus per axillam brachium ingrediens, ramulos'que priori cubitum flectentium musculo præbens, insignem ipsius portionem tertio brachium accedenti neruo impartitur. ipse uerò in cubitum festinans, & ramulum primo radium in supinum ducenti musculo exhibens, cutem subit: ac in uarias dissectus propagines, superioris interioris'que cubiti sedis cutem ad extremam usque manum implicat. Tertius per axillam quoque descendens, & anterioris brachij sedis cuti ramulos depromens, ac secundi nerui portione adauctus, propaginem'que communicans, posteriori cubitum flectentium musculo per anterio-

e παχεῖα μῆνιγξ. f περικράνιον. g λεπτὴ μῆνιγξ. h διάφραγμα. i τυλλῶδες σῶμα. k ψαλλοειδές. l πύελος, aut χοάνη nisi id hic descriptæ glandi tribuere uisum sit. m ὑπερῴα. n ὄρχεις. o γλουτοί. p σκωληκοειδής. q χοροειδής. r κωνάριον. s ληνός. t ἀμφιβληστροειδής. u κρυσταλλοειδής, uel φακοειδής. x ἀραχνοειδής. y ὑαλοειδὴς ὑγρόν. z ῥαγοειδής, aut ῥογοειδής. ⳩ χοροειδής. a κόρη. b σκληρότης, aut στερεός. c κερατοειδής. d ἶρις. e λευκός. f ὑδατοειδές. g παλινδρομῶν.

rem sedem interioris tuberculi ossis brachij in cubitum properat, musculis hinc principiū ducentibus surculos unà cum quinto neruo spargens, & secundùm radium exporrectus, atque in manus uolam ductus, duas soboles pollicis internæ sedi, & totidē indici quoque, & unā tantū externo lateri interioris sedis medij elargitur, non infrequenter etiam medio binos ramulos & unū anulari offerens. Quartus brachij neruus cæteris multo crassior per axillam ingrediens, & ramos musculis cubitum extendentibus disseminans, secundùm brachij posteriora ad externum ossis brachij tuberculum contendit, in cutem prius duas diffundens soboles. Neruus ad hāc externam articuli cubiti sedem positus, ramum in cutem externæ cubiti sedis ad brachiale usq; spargens, & mox in duos ueluti trun cos diuisus, musculis'que ab externo brachij ossis tubere pronatis soboles dans, unum truncum ulnæ exporrigit, à quo ramuli in musculos ab externa ipsius sede pronatos digeruntur: ipse autem truncus iuxta brachialis radicem cessat. Superior uerò truncus radio exporrigitur, & præter surculos graciles, quos accumbentibus præbet musculis, brachiale petit, & duos ramulos externæ pollicis sedi, ac duos item indicis, et unum medij digiti interno lateri impartitur. Quintus neruus arteriæ brachij proximus in axilla latitat, & nullas soboles in brachio à se deducēs, in cubitum per posteriorem interioris tuberculi ossis brachij sedem pertingit, ac musculis hinc pronascentibus unà cum tertio neruo ramos communicans, secundùm ulnam ad brachiale excurrit, in medio ductu ramum diffundens, qui duobus surculis in externam parui digiti sedem, & duobus item in anularis, & uno in medij exterioris sedis externum latus absumitur. Quicquid uerò quinti nerui internam brachialis sedem adit, interiori parui digiti sedi, & anularis & medij ramulos offert. Sextus neruus insigniter gracilis, secūdùm internam brachij sedem sub cute deducitur, & in progressu ramulos quosdam in cutem diffundens ad cubitum pertingit, in cuius cutem secundùm ulnam ad brachiale usque frequentibus surculis disseminatur. A' neruis è thoracis uertebris prosilientibus, præter ramos qui retrorsum ad spinas uertebrarum, & dehinc in musculos ab illis principium ducentes porriguntur, singula costarum interualla singulos ramos sibi uendicant, ad pectoris & abdominis usque medium orbiculatim pertinentes, & musculis thoraci instratis, abdominis'que musculis, & demum cuti surculos dispergentes. Ad hæc ab intercostalibus neruis portiunculæ digeruntur, quæ sexti paris neruorum cerebri propagines costarum radicibus exporrectas adaugent. Cæterùm distributio neruorum è lumborum uertebris progredientium thoracis neruis magna ex parte respondet: illi nanque retrorsum ramos disseminant, & secundū ilia ad abdominis mediū circulatim ascendunt, ramulos cōterminis musculis & cuti elargiētes. Verū à primo horū pari ad testes cum seminalibus arterijs propagines quàm minimæ pertingunt, à quatuor autem humillimis paribus nerui in femur procidentes principium sumunt, quanquam omnium maximus à quatuor primis sacri ossis neruorum paribus pronascatur. Primum sacri ossis neruorum par, similiter ac thoracis & lumborum paria, è uertebris labitur. Quinq; autem humiliora sacri ossis paria non à lateribus prosiliunt, uerùm una radice antrorsum, altera retrorsum egrediuntur, & posterioribus radicibus in musculos sacro ossi & ilium ossibus adnatos & cuti sparguntur. Anterior uerò primi paris ramus unà cum anterioribus triū succedentiū pariū radicibus dictum nuper neruū cōstituit. Humiliorum autem pariū radices in uesicam, anum & penem, aut mulieribus in uteri ceruicē & pudendi colliculos deperduntur. Porrò quatuor neruorum in femur progredientium primus secundùm sextum femur mouentē musculū deducitur, ac in externā femoris cutē ramū disseminans, in musculos absumitur exterius femoris latus occupantes. Secundus simul cum grandiori femoris uena & arteria femur subit, mox ramum depromens per internam femoris & genu & tibiæ sedem ad summum usque pedis digitorum'que extrema sub cute simul cum uena, quam hàc prorepere dictum est, descendens: huc'que ac illuc ramulos digerens. Quod uerò secundi nerui est reliquum, in musculos cessat anteriorem femoris sedem contegentes. Tertius neruus pubis ossis foramen perreptans, & musculis id occupantibus ramulos offerens, sobolem deriuat in internam femoris cutem aliquousq; sparsam: reliquū autē eius nerui in musculos discinditur, in interna femoris sede inibi locatos. Quartus omniū corporis neruorum, qui ex pluribus neruis construuntur, facilè crassissimus, ubi coxendicis os à sacro dehiscit, in posteriora femoris ducitur, ramū in cutem femoris posteriorē spargens, qui paulo sub media femoris longitudine cessat. Humiliori etenim sedi alius offertur ramus, à quarto propagatus neruo, qui etiā musculis à coxēdicis ossis infima posteriorisq; sede pronatis, soboles exhibet, uti & musculis ab inferioribus femoris capitibus pronatis. Dein in poplitis regione in duos dissectus truncos, graciliorem exteriorem'que ad fibulam defert, à quo ramus ad externam tibiæ cutem ad paruum usque digitum repit, & alius in anteriorem tibiæ cutem dispergitur: eius uerò trunci reliquum fibulæ exporrigitur, ubi septimi & octaui pedem mouentium musculorum pendet origo. Cæterùm grandior interiorq; truncus ramum in internam tibiæ cutem, & in suræ pariter cutem ad calcem usque porrigit: ipse uerò in musculis suram constituentibus occultatus, ramum per ligamentum membraneum mittit, quo fibula tibiæ alligatur. hic ramus musculis anteriorem tibiæ sedem obtinentibus reconditus, tandem in pedis superiora contendit, inibi digitis oblatus. Præcipua eius grandioris trunci portio secundùm tibiæ posteriora deorsum properans, & nonnullas soboles huc illuc musculis exhibens, inter calcem interioremq; malleolū pedis humiliora adit, & exiguas admodum soboles musculis inibi repositis offerēs, inferiori singulorū digitorū sedi duas propagines cōmunicat. Atq; ad hunc sanè modū immēsus rerum Opifex non ad uiuendū modò, sed etiam ad cōmodè uiuendū corpus nostrum corruptioni obnoxium condidit. quæ autem ad speciei successionē fabrefecerit, quiq; hæc nutritionis organis procul à sensibus & rationis sede subiunxerit, nunc obiter & quantum hæc humanæ fabricæ partium enumeratio admittit, subijciam.

DE ORGANIS SPECIEI *propagandæ famulantibus.* Caput VI.



INITIO ad speciei conseruationem humanæ fabricæ autor duos homines ita extruxit, ut uir quidem infantis primarium porrigeret principium, mulier uerè id aptè conciperet, infantulumq; ex hoc pronatum principio tantisper nō secus quàm aliquod sui corporis membrū enutriret, quousque is ualidior redditus, in aërem nos ambientē produci posset. Atq; his munijs idonea peculiariaq; instrumenta uir ac mulier obtinuit, quibus tanta ad generationem delectationis uis & illecebra inditur, ut animalia hac incitata, siue iuuenilia, siue stulta & rationis expertia sint, haud aliter speciei propagandæ incumbant, quàm si essent sapientissima. Vir quidem duos adipiscitur[a] testes, cute quæ hîc[b] scortum dicitur, carnea'que membrana obductos, & alba ac continua peculiari'que prorsus substantia extructos: quam[c] ualida continet membrana, orbiculatim substantiæ huic proximè adnata, ac eorum quæ testi applantantur insertionem connexumq; excipiens, singulisq; testibus peculiare inuolucrum constituens. cui[d] alterum quoque proprium accedit à peritonæo inibi pronatum, ubi id uasis seminalibus uiam offert. Illinc namque membrana pronascitur, ea uasa cum teste continens, & testi nusquam, neque etiam seminalibus uasis (nisi quà ex magna peritonæi amplitudine excidunt) pertinaciter connexa. Ad humiliorem enim testis sedem hæc tunica ipsius carnea parte tantum adnascitur, quam testis[e] musculum censemus. Vasa autem seminalia sunt, una utrinque uena, una'que arteria. Vena dextrum testem petēns à cauæ caudicis anteriori sede sub uenarum in renes pertinentium exortu pronascitur: quæ uerò sinistro testi offertur, ab humiliori sede uenæ sinistrū renem adeuntis ob hoc principiū sumere creditur, ut non purū sanguinem dextræ uenæ modo testi perferat, sed serosum, qui ipsius salsa & acri qualitate in seminis eiectione pruritum conciliet. Ambæ arteriæ à grandi arteria paulo inferius quàm dextra seminalis uena initium ducunt, & dextra cauæ caudicem conscendens ad dextram fertur uenam, simul cum hac testem accedens: & cum uena anteaquam testem attingat, uariè perplexa,[f] corpusq; efformans multas uarices exprimens, sua'que basi elatiori testis sedi insertū, & ramulos intimo testis inuolucro offerens, multifariamq; per testis substantiam digestum, quæ sanguinem hunc benignum, & spiritum ingenita ipsi facultate in semē haud secus emutat, quàm iecoris substātia cremorem ab intestinis ei delatum, in sanguinem alterat. Confectum semen à[g] ualido uase instar uermis testis posteriori sedi adnato, uarie'que capreoli ritu implexo excipitur. hoc uas sursum ad magnam peritonæi cauitatem ea uia conscendens, qua seminalis uena & arteria descendêre, nerui cuiusdam modo teres efficitur: & deorsum ad pubis os reflexum, posteriorem uesicæ sedem accedit, ad quam uas à sinistro teste semen deferens etiam properat, quod

a ὄρχεις. b ὄσχεον. c ἐλυτροειδής. d ἐρυθροειδὴς, alijs δαρτός. e κρεμαστήρ. f κιρσοειδὴς παραστάτης. g πόρος σπερματικός.


quod dextro uasi unitum, simul cum illo in uesicæ ceruicis radicem inter[b] glandulosum corpus ceruici hîc obnatum inseritur, communisq; semini ac urinæ meatus consurgit, qui deorsum modicè ductus, denuò sursum ad pubis ossium commissuram foris reflectitur, corporibus[i] penem efformantibus subnatus. Prodit enim utrinq; à pubis osse unum nerueum teresq; corpus, quod intus impensè fungosum ac crasso sanguine plenum cernitur. utrumq; simul connatum unitumq; penem constituit, eius substantiæ beneficio, quum is semen in uterum missurus est, erigi augeriq; aptum: et aliàs quum nullus suæ proceritatis usus est, flaccidum & gracilem, qui etiam ad commodum Veneris usum suo apice[k] glandis modo tumet, ac[l] cute qua tegi & retegi queat decoratur. Mulier[m] uterum sibi uendicat, semini excipiendo fœtuiq; continendo dedicatum: qui inter uesicam & rectum intestinum repositus, uesicæque instar fundo ac ceruice utrisque tendi ac in se concidere aptis formatus, membranis laxis & carneis aliquot fibris (quorum auxilio uterus uoluntariè nonnihil agitur) intertextis, ita suis lateribus ad peritonæum alligatur, ut mesenterium intestina continet. Fundi forma non prorsus rotunda existit, uerùm anteriùs posteriusq; depressa: superius obtusa, & duos (utrinque uidelicet unum)[n] retusos ostendens angulos, qui uitulorum fronti cornua producturæ assimilantur. Fundo simplex adest sinus, fundi formæ ad amussim respondens, & in orificium desinens, glandis penis modo in uteri ceruicis amplitudinē prominens, & naturali tantum ui, non autem mulieris arbitratu sese constringens & reserans. Fundus simplici propriaq; constat tunica, nō prægnantibus insigniter crassa, ut utero gerentibus in miram amplitudinem extendi ualeat. Huic alia obducitur, à peritonæo initium sumens. Ceruix uteri teres est, & in utero non gerentibus aliàs non distensa, haud multo minus ipso fundo ampla, & uesicæ ceruicis insertionem excipiens,[o] coriaceis que carnibus & [p] colliculis alis ue ad suum[q] orificiū ornata. Quinetiam utero utrinq; unus accumbit testis, ad quem uasa eodem prorsus modo atque in uiris pertingunt. Verùm hîc id priuatim accidit, quod media tantū seminalis uenæ arteriæq; pars testi offeratur, altera uteri fundum implicante. Vas semen tenue & impensè aquosum paucūq; à muliebri teste deferens, in obtusum sui lateris uteri inseritur angulū. Venæ & item arteriæ frequentissima serie, præter antea dictas, uterum implicantes, ab illis prodeunt uasorū distributionibus, quæ post sacri ossis ad infimam lumborum uertebram nexum perficitur. Atq; hæc uasa enutriēdo fœtui, & ipsius insito calori recreando subseruiunt. Fœtus autem in utero complexus tribus inuolucris integitur,[r] uno quidem uulgò secundæ uocato, quod instar latioris tantum cinguli ipsum ambit, insigniter que crassum & lienis modo nigricans est: quod utero connatum, uasa in uterum pertinentia excipit: quo illa in ipso postmodū collecta, duabus uenis & totidem arterijs in[s] umbilicum inserantur, & una tandem uena iecori, duæ autem arteriæ grandis arteriæ propaginibus per pubis ossiū foramina descensuris offerantur.[t] Secundum inuolucrū membrana est, fœtū uniuersum amplectens, farciminisq; imagini assimilatum, inter ipsum & tertiū inuolucrum fœtus urinam colligens, quæ peculiari[u] meatu ex uesicæ elatiori sede in hanc amplitudinem perfertur, quo minus urina fœtus cuti circumfusa, ipsius acrimonia obsit.[x] Tertium inuolucrū tenuissima est membrana, hinc etiam agnina dissectionis proceribus appellata, fœtuiq; proximè obducta, ac demum fœtus sudorē inter se & fœtus cutem subflauo quasi luto oblitam asseruans. Fœtus uerò in lucem editus, lac familiare ipsius alimentum è[y] mamillis à nemine edoctus sugit: quæ in pectore sedem uendicantes, &[z] papilla ornatæ, glandulosо corpore insita ui sanguinem per uenas ipsi adductum in lac conuertente extruuntur.

b ἀδενοειδὴς παραστάτης. i καυλός. k βάλανος. l πόσθη. m μήτρα. n κέρατα. o νύμφη. p πτερυγώματα. q ὄρχεις, uel δίδυμοι. r χόριον. s ὀμφαλός. t ἀλλαντοειδής. u οὐραχός. x ἄμνιος. y μαστοί. z θηλαί.

ENVMERATIONIS OMNIVM HVMANI CORPORIS FABRICAM subeuntium partium finis: quem quoad fieri potuit, collectissima integraq; earundem delineatio in subsequentibus paginis excipit, ea serie intuenda, quam mox initio præscripsimus.

G

ANDREAE VESALII.



FIGVRA HVIC CHARTAE IMPRESSA, CVIQVE ALIA VARIIS FORMATA PARTIBVS AGGLVTINATVR, ORDINE FIGVRARVM MVSCVLOS OSTENDENTIVM

quinta numerari potest. eos enim proponit, qui ex omnibus in anterio mi sint, non mirum est, præsentem figuram magna ex parte, uti & quæ sinistra continetur manu, illi succedit quæ quartæ figuræ sini media occurrit pars) iacet. quod uerò in caluariæ amplitudine spe ri subijciuntur. Vbi etiam figura cum suis partibus explicatur, quā uiris peculiaria exceperis, præsenti pagina etiam indicanda.

ri facie uidendi sunt reliqui. Verùm quum hi paucissi præcedentem, nuda ossa proponere. Cerebri figura, stra amplectitur, & præsenti illa quæ humi (ubi oculi ctandū est reliqui, illis uidendum est figuris, quæ mulie præsenti figuræ agglutinatam cernis, si modò organa

FIGVRAE HVIC CHARTAE IMpressæ characterum Index, unà cum eorum characterum explicatione, qui organis generationi famulantibus in figura præsenti chartæ agglutinata inscribuntur.

A Frontis ossis portio.
B Verticis ossis dexteri portio.
C Dextri temporis os.
D Cuneum imitans os.
E Iugale os.
F Occipitij os.
G Primum superioris maxillæ os.
H Quartum maxillæ superioris os. Verùm hæc, ut neq; foramina in hac caluaria notanda ueniunt prolixiùs, sed magis in figuris sunt spectanda, omnia simul ossa exprimente.
I Alter primi paris musculorum dorsum mouentium.
K Alter secundi paris dorsum mouentium.
L, L Costarum sunt ossa.
M, M Intercostalium musculorum in costarum ossibus repositorum, interiorumq; species. atque ijdem in spuriarum costarum cartilaginum notantur interuallis.
N, N Costarum uerarum cartilagines.
O, O Musculorum intercostalium in dictis nuper cartilaginibus positorum, eorundemq; interiorum imago.
P Pectoris ossis interior posteriorúe superficies. est enim id unà cum cartilaginibus huc in dextrū reflexum, quasi illo cor & pulmonem aptè integere posses.
Q Sextus thoracem mouentium.
R Summus humerus.
S Interior scapulæ processus.
T Brachij os.
V Vlna.
X Stylum referens processus.
Y Radius.
Z, Z Octo brachialis ossa.
a, a Quatuor postbrachialis ossa.
b, b, b Quindecim digitorum ossa.
c, c, c Ossicula sesamo comparata notantur.
d Dorsum mouentium quinti paris alter.
e Sextus femur mouentium.
f Septimus femur mouentium.
g Primæ thoracis uertebræ corpus.
h Primæ lumborum uertebræ corpus.
i Primum os sacri ossis.
k Primum os ossis coccygis: atque hîc etiam radices anteriorum neruorum è sacro osse prosilientium notantur.
l Ilium os.
m Coxendicis os.
n n in agglutinata ad coxendicis os chartula, ut & o obuium, pubis os indicatur.
o Cartilago pubis ossium commissuram interueniens.
p Femoris os.
q Supremum femoris caput.
r Maior exteriorúe femoris rotator.
s Interior rotator.
t, u Duo inferiora femoris capita.
x Patella.
y Tibiæ os.
z Fibula.
α Talus.
β Calcis ossis portio.
γ Nauiforme os.
δ, δ Quatuor tarsi ossa, quorum extimum cubum refert.
ε, ε Quinque pedij ossa.
ζ, ζ Quatuordecim pedis digitorum ossa.

CEREBRI figura, quæ sinistra manu continetur, cerebellum à sua sede deorsum habet inuolutum, ac quæ modò subiungam, proponit.

A, A Sedes caluariæ qua cerebellum retinetur, adhuc dura membrana succincta.
B, B Primus duræ membranæ sinus adapertus.
C, C. Secundus duræ membranæ sinus.
D Foramen occipitij ossis, quo dorsalis medulla elabitur.
E Dorsalis medulla.
F Sinus dorsalis medullæ cum cerebelli sinu, quartum constituens cerebri uentriculum.
G, G Venæ cerebelli tenuem membranam petentes.
H Quinti neruorum cerebri paris alter.
I Sexti paris alter.
K Septimi paris alter.
L, L Cerebellum tenui adhuc inuestitum membrana. Verùm
M. M mediam ipsius sedem uermis modo inuolutam indicat.
N, N Cerebri adhuc relicta portio.
r HIC humi decumbens figura inferiorem cerebelli sedem commonstrat, quæ dorsalis medullæ committebatur initio.
O, O Sedes quibus cerebellum dorsali continuabatur medullæ.
P Sinus cerebelli cum sinu dorsalis medullæ, quartū cerebri efformans uentriculum.
Q, R Apices mediæ partis cerebelli, quæ uermis modo inuoluitur. atque hos apices priuatim à cerebello resectos, hic humi prostratos effinximus,
S, T. S & T insignitos.
▲. PORRO figura humi adhuc reliqua, ac △ notata, mediam oculi partem à priori in posteriora transuersim ab alia diuisam oculis subijcit, ad hunc modum oculi partes indicatura.
a Crystallinus humor.
b Tunica cepæ pelliculæ non absimilis, ac anteriori crystallini humoris sedi obuoluta.
c Vitreus humor.
d Visorij nerui substantia.
e Tenuis cerebri membranæ portio, uisorium induens.
f Duræ cerebri membranæ portio, uisorium quoq; inuestiens.
g Tunica reti assimilata.
h Tunica uueæ folliculo comparata.
i Pupilla.
k Tunica palpebrarum pilos seu cilia imagine referens.
l Dura oculi tunica.
m Cornea oculi tunica.
n, n Aqueus humor.
o, o Musculi duræ oculi tunicæ inserti.
p Adhærens oculi tunica.

CAETERVM notæ in figura huic basi affixa apparētes inter mulieris tabularū notas explicabuntur: si modò eas exceperis, quibus organa uiro ad generationem peculiaria indicantur, quæ habent ferè in hunc modum.

υ, υ Meatus urinam è renibus in uesicam deducentes.
δ Sinistra seminalis uena.
ε Dextra seminalis uena.
ζ Arteriarum seminalium ortus.
η Sinistræ seminalis uenæ cum sinistra arteria congressus.
θ Ramuli ad membranas deducti, uenam seminalem & arteriam peritonæo nectentes.

Sinistrum testem unà cum tunica adhuc ipsi propria, atque à
ι, ι. peritonæo pronata, & ι, ι notata delineauimus: ita tamen hîc est dissecta apertaq;, ut nihil quo minus aptè cernatur impediat. imò etiam musculum illi innatum commonstrat,
κ. κ indicatum.
λ Hæc uena & arteria peritonæi amplitudinē egrediūtur.
μ Varicosum corpus, ipsaq; adeò uenæ arteriæ uaria & mirabilis implicatio.
ν Sinister testis tunica ipsi proxima obtectus.
ξ, ξ Vasis semen deferentis ad testem reuolutio.
ο, ο Vasis semen deferentis ascensus ad pubis os.
π Sinistri uasis semen deferentis ad pubis ossis posteriora inflexus.
ς Dextri uasis semen deferentis reflexus.
τ Dextri sinistriq; uasorum semen deferentium coitus.
φ Vasorum semen deferentium insertio.
χ, χ Glandulosum corpus uasorum semen deferentium insertionem excipiens.
ψ, ψ Meatus urinæ seminiq; communis.
ω, ω Musculus orbiculatim dicto iam meatui obductus.
α, α Penis, atq; adeò ipsius corpora.

QVARTA MVSCVLOS COMMONSTRANTIVM FIGVRA, OMNES IN POSTERIORI CORPORIS SEDE SVB ILLIS QVI SECVNDÆ FIGVRÆ SINISTRO LATERE EXPRIMVNTVR reconditos proponit musculos, dextro quidẽ latere eos qui primũ occurrunt, sinistro autẽ qui sub ipsis adhuc cõduntur, quibus ostendendis pes & caput humi collocata pariter iuuant. Tres uerò in hac figura sequuntur, ac harum prima in integri hominis consistens capite, sinistro dextra manu hic cõtinetur: illa quæ sinistra complectitur, ultimũ locum sibi uendicante. conspicuæ cerebri partium imagines inuicẽ sectionis ordine sublateri secundæ figuræ capitis succedit, primam autem excipit quæ

SINISTRI LATERIS CHARACTERVM INDEX.

A Capitis processus mamillam referens.
B Tertij paris caput mouentium alter.
C Alter quinti paris caput agentium.
D Alter sexti paris caput agentium.
E Secundi paris dorsum mouentium alter.
F Quarti paris dorsum mouentium alter.
G Octaui paris dorsum mouentium alter.
H Septimi paris dorsum mouentium alter.
I Quinti paris dorsum mouentium alter. Costarum uerò ossa, ipsiq; intercostalium musculorum externi, etiam citra characterum operam conspiciuntur.
K Scapula prorsus nuda conspicitur.
L Brachij os.
M Vlna.
N Radius. Cæterùm cerebri figura hac manu cõplexa, cerebri pars cerebello incũbens ablata est, unà cũ tãta cerebri portione, ue bases dextri sinistriq; uentriculorum cerebri resectæ uideantur. Dein duræ membranæ pars cerebrum ac
O, cerebellum intercedens, ac O & P notata, in sua sede re-
P. licta est. at eius sinus adaperti sese, uti modò subiungam, offerunt.
Q Cerebelli dura membrana non obtecti portio.
R Dexter primus'ue duræ membranæ sinus.
S Sinister secundus'ue duræ membranæ sinus.
T Dextri sinistriq; duræ membranæ sinuum concursus, atq; adeò tertij sinus initium.
V Quartus duræ membranæ sinus.
X Vas à quarto duræ membranæ sinu in tertium cerebri uentriculum pertinens, hic sursum reflex imus.
Y Alter cerebri testis.
Z Glandula pinei nucem turbinatamq; figuram exprimens.
f Cerebri portio.
g Soporalis arteriæ portio, quæ secundùm humiliorem sinistri uentriculi sedem ad plexus secundinæ forma effícti constitutionem ascendens.
h Tertij cerebri uentriculi, seu communis dextri sinistriq; uentriculorum cauitatis portio. Verùm orificium in anteriori sede h conspicuum, eius meatus est qui hinc pituitam defert. id autem quod in posteriori h sede apparet, eius meatus est orificium qui ex tertio uentriculo in quartum ducitur.
i Os sinistro sacri oßis lateri commissum, excarne modò prorsus est.
k Membrana pubis oßis foramen occupans.
l Femoris os.
m Noni femur mouentium portio.
n Propendet hic cum suis portionibus decimus femur mouentium, a,b,c suos indicans tendines.
o Ab insertione dependet in poplite latitans musculus.
p Tibiæ os hic nudum modò cernitur.
q Fibula & hic quoq; iam nuda est.
r,r Quintus pedem mouentium.
ſ Septimus pedem mouentium.
t Octaui pedem mouentium portio.
u,u Carnea hæc moles flexui primorum articulorum pedis digitorum præficitur.
x Huius musculi ab insertione pendentis beneficio quatuor pedis digiti pollici adducuntur.
y Secundus pedis digitos mouentium ab insertione hic prosternitur.
z Tertius quoq; digitos pedis mouentium humi decumbit.
α Commixtio tendinis tertij musculi cum secundo.
Caput hoc, cui sinister pes innititur, nudũ exprimit occipitium, unà cum duabus supremis uertebris, ut tertium caput mouentium
β,γ. par β & γ notatum in conspectum ueniret.

DEXTRI LATERIS NOTARVM INDEX.

IN hac cerebrum exprimente figura tantũ cerebri ablatum est, quantum datius callosо corpore consistit: ipsum uerò callosum corpus in posteriora, hicq; deorsum est renolutum.
A,A Dextra cerebri pars adhuc reliqua.
B,B Sinistra cerebri pars adhuc reliqua.
C Dexter uentriculus.
D Magna plexus secundinam referentis portio.
E,F,G Corporis instar cameræ testudinis'ue efformati superior sedes.
H Euersum hîc in posteriora est callosum corpus.
I. Linea ab I ad G, & rursus ab I ad K pertingens, duorum
K. primorum cerebri uentriculorum septum indicat disruptum.
L,M,N,O His musculosis partibus alter secundi paris musculus constituitur caput mouentium.
P Tertij paris dorsum mouentium alter.
Q Quarti paris dorsum mouentium alterius musculi porio
R Thoracis motorum quartus, a,b,c,d circunscriptus.
S Sexti paris dorsum mouentium alter, a,b circunscriptua
T Octaui paris dorsum mouentium alterius portio.
V Scapulam monentium tertius.
X Thoracis motorum tertius, ab insertione hic dependit
Y Scapulæ gibbum musculis modò liberum conspicitu.
Z Tertium articuli humeri peculiare ligamentum.
f Brachium mouentium tertius.
g Thoracem mouentium secundi portio.
h,h Costarum ossa.
i,i Costarum interualla, atq; adeò exteriores intercostales musculi.
k Transuersi abdominis musculi portio.
l Brachij os iam hîc excarne conspicitur.
m Primus cubitum extendentium.
n Secundi brachium extendentium hîc adhuc asseruata est portio.
o Tertij brachium extendentium exortus.
p,p Radius.
q Vlna.
r Secundus radiũ in pronum ducentium.
s Ligamentum radium ulnæ qua hæc inuicem dehiscunt nectens. Quoniam autem tendines externam manus sedem perreptantes resecuimus, extremæ manus ossa ligamẽtis adhuc cõtẽta occurrunt. Cerebri uerò figura hac manu amplexa, sectionis serie superiorem subsequitur.
t Corporis cameræ modo extructi inferior cauaq; superficies.
u Sub u uas spectatur à quarto duræ membranæ sinu in tertium cerebri excurrens uentriculum.
x In dextro uentriculo cerebri plexus secundam referens notatur, atq; eadem sinistri lateris est ratio.
y Meatus à tertio cerebri uentriculo pituitam ad glandem huic excipiendæ idoneam deferentis orificium.
z Magna ex parte ilium oßis dorsum modò nudum conspicitur.
α Tertius femur mouentium.
β Coxendicis articulus.
γ Decimus femur mouentium.
δ,δ Decimum femur mouentium concomitantes carneæ musculosæq; partes.
ε Ligamentum ab osse sacro in coxendicis os pertinens.
ζ Magnus exteriorq; femoris processus.
η,θ,ι,ι Quintus femur mouentium. uerùm singuli characteres singulas indicant portiones.
κ Septimi tibiam mouentium portio.
λ,λ Octaui tibiam mouentium portio.
μ Musculus in poplite latitans.
ν Septimus pedem mouentium.
ξ Octaui pedem mouentium portio.
ο Secundus pedis digitos mouentium. Verùm huius tendines in pede hîc humi prostrato in suo situ indicantur, eodem charactere insigniti.
ϖ Portio tertij pedis digitos mouentium, cuius tendo in pede hu-
ρ. mi prostrato etiam ρ & ρ indicatur.
σ Tendo est trium primorum pedem mouentium.
τ,υ Tendines secundi pedis digitos mouentium, à sua sede distracti, utq; eorum perforatio in conspectum ueniret adhuc asseruati.
φ,φ Musculi digitos pollici adducentium portiones, qui tendinibus secundi pedis digitos mouentis exporriguntur.

TERTIA MVSCVLOS OSTENDENTIVM FIGVRA, PRIMAM ET SECVNDAM SEQVITVR, MVSCVLOS ILLIS QVOS IPSAE SINISTRIS LATERIBVS REFEREBANT PROXIME succumbentes, dextro latere in anteriori facie proponens, dein sinistro latere illos referens qui dextri lateris subsunt musculis. praeter linguae & laryngis musculos, & cartilagines hic humi repositas. Cerebri uerò partium hic nihil propter capitis in posteriora reflexum occurrit.

DEXTRI LATERIS CHARACterum Index.

- A Palatum sua adhuc obductum tunica.
- B Gargareo.
- C Tertius inferiorem maxillam mouentium. est enim hic maxilla ad summum mentum dissecta, & utrinque ad latera ducta.
- D Dextra pars inferioris maxillae.
- E,F Duo quarti maxillam mouentium musculi uentres. G Neruea sedes inter eos uentres consistens.
- G.
- H Laryngis operculum.
- I Altera tonsilla.
- K Lingua.
- L Quintus linguae musculus.
- N,N Dexter υ referens os ad latera trahentiū.
- O Dexter duorum à pectoris osse in scuti imaginem exprimentem laryngis cartilaginem insertorum.
- P Asperae arteriae caudex.
- Q Dexter primi paris dorsum agentium.
- R Dexter secundi paris dorsum agentium.
- S Portio secundi paris caput mouentium.
- T Portio tertij scapulam mouentium.
- V Series neruorum axillam petentium.
- X Pectoris os.
- Y,Y Costarum ossa.
- g,g Costarum cartilagines.
- h,h Intercostalium exteriorum series in ossium interuallis.
- i,i Intercostalium exteriorum series in cartilaginum interuallis.
- k,k Secundus thoracem mouentium.
- l Cartilaginis in quam pectoris os exacuitur sedes.
- m Rectus abdominis musculus a,b,c,d circunscriptus.
- n Vmbilici relicta portio.
- o Transuersi abdominis musculi magna portio.
- p Seminalia uasa hic sunt praesecta.
- q Penis corporum hic conspicitur substantia.
- r Meatus urinae ac semini communis.
- ſ Septimus brachium mouentium.
- t Quintus brachium mouentium.
- u Interior scapulae processus.
- x Brachij os.
- y Tertius brachium mouentium.
- α Quarti brachium mouentium insertionis portio.
- β Primus cubitum extendentium.
- γ Posterior cubitum flectentium.
- δ Primus radium in pronum agentium.
- ε Insertio anterioris cubitum extendentium.
- ζ Primus radium in supinum ducentium.
- η Secundus digitos mouentium, a, b, c circunscriptus.
- θ Tertius digitos manus mouentiū, cuius tendo a indicatur.
- ι Minor primorum duorum pollicis os flectentium.
- λ,μ,ν,ξ Quatuor musculi quatuor digitos pollici adducentes.
- ρ Exterior duorum primum parui digiti os flectentium.
- π Ilium ossis spina hic excarnis modò uisitur.
- ς Portio tertij femur mouentium.
- σ Septimi femur mouentium portio.
- τ Sexti femur mouentium portio.
- υ Octauus femur mouentium.
- φ Quinti femur mouentium portio.
- χ Maior exteriorue femoris processus.
- ψ Septimus tibiam mouentium, a, b, c circunscriptus.
- ω Octauus tibiam mouentiū, d, e, f etiam insignitus, magnaque adhuc portione sub septimo latitans.
- Γ Tendo noni tibiam mouentium.
- Δ,Δ Tibiae ossis excarnis pars.
- Θ Decimusquintus digitos pedis mouentium.
- Λ Portio septimi pedem mouentium.
- Ξ Decimussextus digitos mouentium.
- Π Tendo tertij pedem mouentium.
- Σ,Σ Quartus pedem mouentium.
- Υ Hic tendo primi & secundi pedem mouentium quarto connascitur uniturque musculo, estque hic praesectus.
- Ω Portio secundi pedis digitos mouentium.
- Z,Z Portiones sunt transuersorum harū sedium ligamentorū.

SINISTRI LATERIS CHARACterum Index.

- A Propago minoris radicis tertij paris neruorum cerebri, quae cuti frontis offertur.
- B Dictae radicis propago, nariū amplitudinē petens.
- C Propago dictae radicis, superiorē accedens maxillā.
- D Quarti paris neruorū cerebri series in palati tunicā.
- E Maioris tertij paris radicis propago, instar capreoli inuoluta.
- F Dictae radicis portio linguam petens.
- G Dictae radicis portio inferiori maxillae distributa.
- H Dictae iam portionis soboles inferiori labro depromptae. atque hic notatur sinistra inferioris maxillae pars.
- I Portio secundi paris caput mouentium.
- K Glandula sinistro lateri laryngis subnata.
- L Sinister primi paris caput mouentium.
- M Sinister secundi paris caput mouentium.
- N Tertius scapulam mouentium.
- O Clauicula sinistri lateris.
- P Summus humerus.
- Q Interior scapulae processus.
- R Secundus thoracem mouentium.
- S Vena ac arteria sinistro pectoris ossi exporrectae.
- T Sinistri lateris transuersus abdominis musculus, a, b, c circunscriptus.
- V Brachij os hic prorsus nudum conspicitur.
- X Primus cubitum extendentium.
- Y Primus radium in pronum ducentium.
- f Secundus radium in pronum agentium.
- g Radius.
- h Vlna.
- i Ligamentum radium ulnae inibi committens, ubi haec ossa inuicem dehiscunt.
- k Tendo primi brachiale mouentium.
- l,m,n Tres secundum pollicis internodium flectentes. Qui autem hic in uola sunt reliqui, octo illi censentur, quibus prima quatuor digitorum ossa flectuntur.
- o,o. Transuersa digitorum ligamenta indicantur, quibus primi & secundi digitos mouentium tendines obducebantur.
- p Septimi femur mouentis portio.
- q Sexti femur mouentis portio.
- r,r Pubis os sinistrum.
- ſ Nonus femur mouentium.
- t Exterior maiorue femoris processus.
- u Octauus tibiam mouentium, qui uniuersum quasi femoris os proximè ambit.
- x Portio tendinis septimi femur mouentium.
- y Tendo noni tibiam mouentium.
- z,z Tibiae os.
- α Fibula.
- β Ligamentum membraneum fibulam tibiae colligans.
- γ Septimus pedem mouentium.
- δ Octauus pedem mouentium. Superior autem pedis sedes omnino iam excarnis est, ipsiusque ossa ligamētis adhuc obducta conspiciuntur. Posterior tibiae sedes hic dextro cruri respondet.

EORVM QVAE HVMI IACENT characterum Index.

- α Hîc linguam cum suis dextri lateris musculis delineauimus, ac ζ & ζ primum notat, η tertium, θ quintum, ι septimum, κ nonum.
- λ Hic dextrum laryngis latus cum osse υ referente, & μ notato delineatur, & stomachi portione ν indicata. ξ musculi ab osse υ referente in laryngis operculum inserti.
- π Dexter ab osse υ referente in primam cartilaginem insertorum.
- ρ Portio dextri à pectoris osse in primam cartilaginem insertorum.
- σ Dexter à stomacho ad primam cartilaginem pertinentium.
- υ Anterior laryngis sedes, ipsiusque primae cartilaginis imago.
- φ Laryngis operculum.
- χ,ψ. χ exterior dextri lateris, ψ interior sinistri lateris quatuor secundam cartilaginem primae iungentium.
- ω,ω Posterior facies primae cartilaginis.
- 2,3 Duo dextri lateris tertiam secundae iungentium.
- 4 Dexter duorum in basi tertiae cartilaginis positorum.
- 5 Dexter duorum tertiam primae nectentium. sinistri autem portio
- 6. 6 insignitur.
- 7 Haec figura laryngem ita prostratam, atque à reliquo asperae arteriae caudice abscectam ostendit, ut ipsius rimula seu lingula in conspectum hic ueniat, 8 notata.
- 8.
- 9. Secunda laryngis cartilago, ex latere dextro expressa.
- 10 Tertia cartilago, ex latere quoque dextro delineata.

SECVNDA

SECVNDA COMMONSTRANDIS MVSCVLIS PARATARVM FIGVRA, POSTERIOREM CORPORIS SEDEM ITA PROPONIT, VT PRIMA ANTERIOREM. IN DEXTRO ENIM LAtere musculos ostendit cuti subtensos, in sinistro autem latere eos qui illis sectionis serie subijciuntur. Praeterea caput etiam sectionis ordine primae figurae capiti pulchrè succedit.

SINISTRI LATERIS CHARActerum Index.

r,r Hic sinistrae cerebri partis tanta portio ablata est, ut sinistra callosi corporis relicta portione, sinister cerebri uentriculus appareat: notatur enim r & r cerebri substantia.
Callosi corporis sinistra pars.
Sinister cerebri uentriculus dextro omni ex parte respondens.
Sinistri uentriculi plexus, extimo foetus inuolucro comparatus.
A Temporalis musculi portio.
B Masseter, seu maxillam mouentiũ in altero latere secũdus.
C Iugalis oßis sedes.
D Portio alterius musculi septimi paris caput mouentium.
E Alter primi paris caput mouentium.
F,F Alterius secundi paris caput mouentium portio.
G Scapulam mouentium tertius.
H Alterius os v referens deorsum ad latera uellentiũ portio.
I Clauicula.
K Alterius secundi paris dorsum mouentium portio.
L Portio tertij thoracem mouentium, qui figura quinto thoracem mouentium, ac Y notando respondet.
M Septimus brachium mouentium.
N Sextus brachium mouentium, a, b, c circunscriptus.
O Scapulam mouentiũ quartus, b, c, d, e circunscriptus.
P Brachium mouentium tertius.
Q Secundi thoracem mouentium portio.
R Quarti thoracem mouentium portio.
S Sexti paris dorsum mouentium alterius portio.
T Octaui paris dorsum mouentium alterius portio.
V,V Costarum oßa.
X,X Costarum interualla.
Y Quintus thoracem mouentium.
f,g Hic portio conspicitur abdominis musculi suas fibras obliquè sursum exporrigẽtis, & interdũ à transuersis lumborũ uertebrarũ proceßibus initium sumẽtis.
Primi cubitum extendentium origo.
Secundi cubitum extendentium origo.
Sedes qua duo primi cubitum extendentium musculi coeunt.
Brachij os.
Caput exterius anterioris cubitum flectentium.
Posterioris cubitum flectentium portio.
Portio primi radium in supinum agentium.
Tertius brachiale mouentium, cuius tendinũ insertionem a & b indicant.
Secundus radium in supinum agentium.
Vlnae os hic nudum conspicitur.
Musculus digitos mouentium uigesimus secundus, cuius pars tendinẽ oßi brachialis pollicem sustinenti inserens a insignitur, reliquae ipsius partes b & c indicantur.
Musculus digitos mouentium uigesimus primus.
Digitos mouentium decimus nonus.
Hic brachialis oßa ligamentis obducta oculis subijciuntur, unà cum postbrachialis oßibus, & musculis illorum interualla opplentibus.
Secundus femur mouentium, a, b, c circunscriptus.
Quartus femur mouentium.
Decimus femur mouentium.
Duo carneae partes seu musculi, decimum qua hîc ad coxendicis os reflectitur concomitantes.
Ligamentũ ab osse sacro in coxendicis oßis acutũ proceßũ pertinẽs.
Ligamentum ab osse sacro in coxendicis oßis appendicem insertum.
Magnus seu exterior femoris processus.
Quinti femur mouentium portio.
Secundus tibiam mouentium.
Tertius tibiam mouentium.
Quintus tibiam mouentium.
Quartus tibiam mouentium.
Septimus tibiam mouentium.
Primi tibiam mouentium portio.
Octaui tibiam mouentium portio.
Tertius pedem mouentium.
Musculi in poplite latitantis portio.
Quartus pedem mouentium.
Hic primi & secũdi pedẽ mouentiũ tendo à quarto pedẽ mouentiũ resectus est.
Interior malleolus.
Septimi pedem mouentium portio.
Octaui pedem mouentium portio.
Exterior malleolus.
IN pede hîc humi prostrato pedis uisitur planta, ac ξ musculum primum notat pedis digitos mouentium, π uerò tendinem secundum pollicis os flectentem.

DEXTRI LATERIS CHARActerum Index.

A,A,B Cerebrum sectionis serie à tenui ipsius membrana detectum. ac A & A dextrae cerebri partis superficiem notant, quae caluariam spectat. B uerò eam quae sinistram cerebri partẽ sectionis ordine abscissam respiciebat.
C Durae membranae pars, dextram & sinistram cerebri partes intercedens, & ab octauo caluariae osse hic dirempta, sursumq́ reflexa.
D Tenuis membrana à cerebro diuulsa.
E,F Secundus scapulam mouentium, a, b, c, d, e circunscriptus.
G Secundus brachium mouentium, posteriori sua sede hic apparens, & a, b, c circunscriptus.
H Portio sexti brachium mouentium.
I Tertij brachium mouentium portio.
K Quartus brachiũ mouentiũ, hic a, b, c circunscriptus.
L Musculi abdominis obliquè deorsum suas exporrigentis fibras portio.
M Primi cubitum extendentium portio.
N Secundi cubitum extendentium portio.
O Posterioris cubitum flectentium portio.
P Initium primi radium in supinum mouentium.
Q Brachiale mouentium tertius, a, b, c etiam notatus.
R Excarnis ulnae pars.
S Decimus septimus digitos mouentium.
T Decimus octauus digitos mouentium.
V,V Notatur uaria tendinum commixtio ad quatuor digitorum radices.
X Quartus brachiale mouentium.
Y Secundus brachiale mouentium.
f,g,h Musculus digitos mouentium uigesimus secundus. uerùm f partem notat tendinem oßi pollicem sustinenti inserentem. g uerò & h partes sunt, tendines pollici offerentes.
i Vigesimi primi digitos mouentium portio.
k Vigesimus digitos mouentium.
l Vigesimus quartus digitos mouentium.
m Secundi femur motorum portio.
n Sextus tibiam mouentium; cuius tendo tam tenuis est, ut subiectorum musculorum inspectionẽ non praepediat. est enim hic a, b septimus tibiam mouentium.
o Primus femur mouentium, a, b, c, d circunscriptus.
p Secundi tibiam mouentium portio.
q Testis sua obductus tunica hic propendet.
r Tertius tibiam mouentium.
ſ Quartus tibiam mouentium.
t,t Quintus tibiam mouentium.
u Primus pedem mouentium.
x Secundus pedem mouentium.
y Tertij pedẽ mouentiũ carnea pars.
α Septimus pedem mouentium.
β Octaui pedem mouentium pars.
γ Excarnis fibulae pars, exteriorue malleolus.
δ Tendo noni pedem mouentium.
ε Aliquot tendines decimiquarti digitos pedis mouentium.
ζ Decimus septimus pedis digitos mouentium.

PRIMA FIGVRA EARVM QVAS OSTENDENDIS MVSCVLIS POTISSIMVM PI
RAVIMVS, IN CVIVS DEXTRO LATERE MVSCVLI MOX SVB CVTE RECONDITI, ANTERIORI IN

facie conspiciuntur : in sinistro autem illis resectis obuij sunt, qui in dextro latere apparentibus proximè succumbunt. Vt uerò præs[...] figura redderetur copiosior, eorum quæ caluaria complectitur ima ginem, sectionis ordine proponere incepimus, humi oculi musculos [...] characterum index docebit, delineantes.

DEXTRI LATERIS CHARActerum Index.

- *A, A* Duræ cerebri membrana ita apparens, uti inter secandum caluariæ superiori parte sectionis ordine ablata, occurrit.
- *B, B* Duræ membranæ uasa secundum ipsius latera uenarum arteriarumq; modo digesta.
- *C, C* Tertius duræ membranæ sinus hic secundùm longitudinem adapertus cernitur.
- *D* Circulus iste os est caluariæ.
- *E* Musculosa substantia frontis cutem mouens.
- *F* Palpebram superiorem attollens musculus.
- *G* Musculus eandem palpebram deorsum ducens.
- *H* Hic duo musculi nuper dicti sese contingunt.
- *I* Temporalis musculi sedes.
- *K* Musculus una portione a insignita in nasi alam, altera uerò b indicata in superius labrũ insertus.
- *L* Cartilago ab altero nasi osse producta.
- *M* Dextra nasi ala.
- *N* Musculus à malis in superius labrum insertus.
- *O* Musculus ex carnea constitutus membrana, & labra & buccas mouẽs, et a, b, c, d circunscriptus. uerùm d priuatim sedẽ notat in altero latere secundi maxillam inferiorem mouentium musculi.
- *P* Brachium mouentium secundus hic anteriori sua sede a, b, c circunscriptus.
- *Q* Brachij motorum primus, a, b, c, d circunscriptus.
- *R* Portio est quarti brachium mouentiũ.
- *S, S* Sedes S, S insignita, et inter illos characteres media musculi thoracem mouentium secundi est portio.
- *T* Deorsum obliquè in anteriora fibras suas ducens abdominis musculus, a, b, c, d, e circunscriptus.
- *V* Testis unà cum seminalibus uasis tunica, quam ipsi peritonæum offert, adhuc obductus.
- *X* Prior cubitum flectentium.
- *Y, Y* Posterior cubitum flectentium.
- *g* Cubitũ extẽdentiũ primi portio.
- *h* Radium in pronum agentium primus.
- *i* Radium in supinum agentium primus.
- *k* Portio tertij brachiale mouentium.
- *l* Brachiale mouẽtium primus.
- *m* Latum tendinem sub interna manus cute producẽs, ac a, b circunscriptus.
- *n* Brachiale mouentium secundus.
- *o, o, o* His interuallis primus digitos mouentiũ se offert.
- *p* Digitos mouentium uigesimustertius.
- *q* Portio maioris primum pollicis os flectentium.
- *r* Digitos mouentium uigesimus.
- *s* Penis cute ipsius'ue inuolucro circuncisus.
- *t* Primus tibiam mouentium, a, b circunscriptus.
- *u* Sextus tibiam mouentium, a, b, c, d circunscriptus.
- *x* Glãdulæ in inguine uasorũ distributioni præfectæ.
- *y* Portio septimi femur mouentium.
- *α* Portio quinti femur mouentium, cui octauus committitur.
- *β* Portio secundi tibiam mouentium, cuius insertio c insignitur. tertij autem tibiam agentis insertio d notatur.
- *γ* Portio noni tibiam mouentium.
- *δ* Portio octaui tibiæ motorum.
- *ε, ε* Nuda excarnisq; tibiæ ossis sedes.
- *ζ* Sextus pedem mouentium, a, b circunscriptus.
- *η* Portio decimiquinti digitos pedis mouentium.
- *θ* Portio & tendines decimiquarti digitos pedis mouentium.
- *ι* Tendo noni pedem mouentis.
- *κ, κ* Hac obliquè prorepunt tendines decimisexti digitos mouentium.
- *λ, λ* Ligamentum transuersum in tibiæ anteriori sede positum hic dissectum cernitur: uti & ligamenta inter
- *μ, μ* internum malleolum & calcem conspicua, & μ, μ notata.
- *ν* Primus pedem mouentium.
- *ξ* Tendo tertij pedem mouentium.
- *ο* Portio quarti pedem mouentium.
- *π* Secundi digitos pedis mouentium portio.
- *ρ* Quinti pedem mouentium portio.
- *σ* Decimusoctauus digitos mouentium.

SINISTRI LATERIS CHARActerum Index.

- *A, A* In hac capitis parte sectionis ordine durã cerebri membran[am] à tenui remouimus, hicq; tenuis cerebri notatur membrana.
- *B, B* Vasa in tenuẽ mẽbranã ex tertio duræ mẽbranæ sinu depro[...]
- *C* Duræ membranæ pars deorsum à tenui reflexa.
- *D* Ductuum instar uenæ ex uasis per duræ membranæ latera [...]rentibus in tenuem membranam pertinentium unus.
- *E* Neruus superiori oblatus maxillæ, à minore tertij paris neruorum cerebri radice.
- *F* Musculus in buccis positus, ac buccas labraq; mouentium in de[xt]ro latere quartus.
- *G* Labra mouentium tertius.
- *H* Primus ossi υ referenti propriorum.
- *I* Septimi paris caput mouentium alter.
- *K* Portio secundi scapulam mouentium.
- *L* Portio tertij scapulam mouentium.
- *M* Alterius, os υ referens deorsum in latera trahentium portio.
- *N* Clauicula.
- *O* Primus thoracis motorum.
- *P* Hàc uasorum neruorumq; copia axillam petit.
- *Q* Pectoris ossis anterior sedes hoc latere detecta cernitur.
- *R, R* Costarum ossa hic quoq; aliqua ex parte nuda uisuntur.
- *S, S* Costarum cartilagines.
- *T, T* Intercostalium musculorum exteriorum inter o[ssa] costarum sedem obtinentium imago.
- *V, V* Intercostalium musculorum exteriorum in carti[la]ginum uerarum costarum interuallis consistentium forma.
- *X* Primus scapulam mouentium, a, b, c circunscript[us].
- *Y* Secundi thoracem mouentium portio.
- *f* Recti abdominis musculi portio.
- *g* Obliquè sursum suas fibras exporrigens abdomi[nis] musculus, a, b, c circunscriptus.
- *h* Vmbilici pars.
- *i* Testis intimo ipsius inuolucro obductus.
- *k* Venæ arteriæq; seminalium anteaquam testi im[pli]cantur implexus.
- *l* Vas semen à teste deferens.
- *m* Testis musculus.
- *n* Ligamentum ab interno scapulæ processu ad sum[mum] mum pertinens humerum.
- *o* Interior scapulæ processus.
- *p* Primum ligamentum humeri articu[lo] propriorum.
- *q* Brachij os.
- *r* Cubitum flectentium anterior, cuius capita a & b notantur: tendo autem c.
- *s, s* Cubitum flectentium posterior.
- *t* Cubitum extendentiũ primi portio.
- *u* Radium in pronum ducentium primus.
- *x* Radij in supinum motus autorum primus.
- *y* Portio tertij brachiale mouentium.
- *α* Primus digitos manus mouentium, a, b, c, d quatuor ipsius indicantur tendines.
- *β* Secundi digitos mouentium portio.
- *γ* Vlnæ portio.
- *δ* Tertij digitos mouentium portio.
- *ε* Pars uigesimisecundi digitos mouentium, quæ tendinem inserit brachialis ossi pollicem sustinenti.
- *ζ, η* Duæ portiones sunt alterius uigesimisecundi musculi partis, quæ singulæ tendinem pollici offerunt.
- *θ, θ* Ligamentum transuersum in brachialis interna sede positum, hic dissectum uisitur.
- *ι* Maior duorum qui primum pollicis os flectunt.
- *κ, κ* Tendines secundi digitos mouentium musculi.
- *λ* Alter est musculus parui digiti primum os flectentium.
- *μ* Ilium os hic excarne est propter obliquè descendentem abdominis musculum inibi resectum.
- *ν* Secundi femur mouentium portio.
- *ξ* Septimi femur mouentium portio.
- *ο* Sexti femur mouentium portio.
- *π* Nonus tibiæ motorum.
- *ρ* Septimi tibiam mouentium portio.
- *ς* Quinti femur mouentium portio, cui octauus committitur.
- *τ* Secundus tibiam mouentium, cuius insertionem a notat.
- *υ* Octaui tibiam mouentium portio.
- *φ* Quarti tibiam mouentium portio.
- *χ, χ* Excarnis tibiæ ossis pars.
- *ψ* Hic sextus pedem mouentium musculus à tibiæ osse est resectus.
- *ω* Decimusquartus digitos mouentium, cuius aliquot tendines a, b insi[gni]gniuntur.
- *Γ* Digitos mouentium decimusquintus.
- *Δ* Nonus pedem mouentium.
- *Θ* Sextus pedem mouentiũ. Reliqua in hoc crure cum dextro conueniũ[nt].
- *Λ* Oculus simul cum ipsius musculis adhuc integris à sua sede erutus, hic humi iacet.
- *Ξ* Sex primi oculi musculi hic ab exortu ad insertionem usq; sunt liberati,
- *Π* septimo in suo loco relicto, et neruo uisorio Π in utroq; oculo insignito.

OMNIVM

OMNIVM HVMANI CORPORIS OSSIVM SIMVL SVA SEDE COMMISSORV OMNIBVSQVE PARTIBVS QVAS STABILIVNT, QVAEQVE ILLIS

adnascuntur, aut ab ipsis prodeunt liberorum integra delineatio.

CHARACTERVM HVIVS OMNIVM ossium imaginem ostendentis figuræ Index.

ETSI in figuris ad præsentem de humani corporis fabrica Epitomen paratis, & ad proportionem uiri mulierisq́, quæ modò subsequuntur, imaginum delineatis, ossa occurrant: quum tamen id passim fiat, neq; eadem figura simul omnia commissis illis partibus nuda detectaq́ spectentur, non abs re fuerit, in hanc paginam alioquin uacantem, ex primo libro huc imaginem reijcere, quæ ex tribus illic omnia ossa simul exprimentibus figuris, hæc magis & anteriori ac posteriori sede proponit. Præterquam quod hæc figura etiam caluariæ, cui sinistra manus incumbit, basim unà cum osse υ imaginem referente & auditus organi ossiculis spectandam offerat. Vti characterum Index modò enarrabit.

A *Suturarum capitis quæ transuersim feruntur anterior, coronalisq́ dicta.*

B *Sedes alterius transuersæ suturæ, quæ Λ imaginem proponit, & à cuius uertice alia ad coronalem, & rarò hinc ad nasi summum fertur, quam à recto ductu sagittalem nuncupamus.*

D *In temporibus obuia instar duarum squamarum quæ inuicem incumbunt, commissura, cui ab imagine nomen inditum est. Reliquis uerò caluariæ superiorisq́ maxillæ suturis, quæ nominibus proprijs destituuntur, nullus adhibitus est character.*

α *Alterum uerticis os.*

β *Frontis os nunquam geminum, nisi quum rarissimè à coronalis suturæ medio ad summum usque nasi suturæ quæpiam pertingit. In huius basi in interna caluariæ amplitudine os spectatur, quod capitis octauum appello.*

γ *Occipitis os, in grandioribus natu similiter unum.*

δ *Dextri temporis os, cuius processus styli aut acus aut galli calcaris*
ε. *imagini comparatus, ε insignitur: is uerò qui uberis papillæ confer-*
ζ. *tur, ζ inscriptum ostendit.*

η,η *Hæc caluariæ sedes ab imagine & duritia quam cum prærupta rupe similem gerit, nomen obtinet, quod permultis temporum duntaxat ossibus asscribitur.*

E *Os cuneo à dissectionis proceribus comparatum. Huius processus,*
θ. *quos alis assimilamus, θ insigniuntur.*

F *Hæc caluariæ sedes duorum ossium efformata processibus, perinde acsi peculiare os esset, iugale os nominatur. Superioris autem maxillæ ossa mihi duodenario numero comprehensa, quũ nominibus careãt, hac exigua tabella characteribus non obruenda putaui.*

G *Inferior maxilla, similiter ac superior sedecim dentibus ut plurimùm decorata.*

H *Os υ imaginem exprimens, unitatisq́ nomine, & si pluribus constet ossiculis, donatum.*

ϛ,* *E regione dicti ossis hic iuxta caluariæ basim duo occurrunt auditus organi ossicula, quorum alterum ϛ insignitum molari denti duabus tantũ radicibus donato, aut incudi comparamus: alterum uerò * indicatum, malleo cuipiam, aut magna ex parte femoris ossi.*

I,K,L,M,N *His characteribus dorsi ossium seu uertebrarum notatur series, quarum septem ab I ad K pertinentes collum efformant. duodecim à K ad L numeratæ, thoracem. quinque ab L ad regionem M succedentes, lumbos. à regione M, quo ossis sacri in quinta musculorum tabula apparentis, sedes indicatur, ad N sacrum os sex extructum ossibus consistit, cui coccyx os subijcitur.*

O *Pectoris os pluribus conformatum ossibus.*

P *Mucronata cartilago, in quam pectoris os gladij modo exacuitur.*

1,2,3,4,5,6,7,8,9,10,11,12 *Numeri characteribus duodecim costæ indicantur, quarum septem superiores & uertebris & pectoris ossi articulantur, hinc ueræ nuncupatæ: inferiores autem quinque spuriæ dictæ, ad solas uertebras articulationem moliuntur.*

Q *Clauicula.*

R *Scapula, cuius superior processus, quem summum humerum dicimus,*
λ,μ. *λ insignitur. interior autem, qui anchoræ imagini confertur, μ.*

S *Brachij os, multis humerus appellatum.*

T,V *A T ad V sedes metitur, quam cubitum uocamus, duabus constructa ossibus, quorum longius inferiusq́, ac Y insignitum, cubitus priuatim & ulna appellantur. Huius posterior, iuxta illius cum bra-*
ν. *chij osse articulationẽ processus ν insignitur. Processus autem illius*
ξ. *acutus iuxta brachiale conspicuus, ξ inscribitur. Porrò superius in cu-*
X. *bito os, radius appellatum, X notatur.*

Z *Octo brachialis ossa, duplici ordine digesta.*

Γ *Quatuor postbrachialis ossa.*

Δ *Quindecim digitorum ossa.*

Θ *Hoc charactere sinistrum os eorum quæ sacri ossis lateribus committuntur obuium est: quod in tres sedes, perinde ac si tribus peculiaribus ossibus constitueretur, nomine diuidimus, quæ dextrum os*
ο,π. *characteribus notata refert. ο nanq; ilium os, π coxendicis, ρ pu-*
ρ,σ. *bis indicat, σ uerò cartilaginem pubis ossiũ coalitũ interuenientem.*


Λ *Femur, cuius exterior maiorq́ rotator τ indicatur, interiori &*
τ. *minori interim hic nusquam conspicuo.*

Ξ *Os scuti patellæq́ instar, genu articulo præpositum.*

Π,Σ *A Π ad Σ sedes metitur, quam tibiam nuncupamus, quæq́ duobus*
φ. *constat ossibus, uno interiori & crassiori, ac tibia appellato, ac φ in-*
Ψ. *signito: altero graciliori exteriorique, quod Ψ inscriptum fibulæ nomen obtinuit.*

φ,χ *Inferiorum appendicum ossium quæ tibiam constituunt processus, quos malleolos appellare consueuimus.*

Ω *Talus tibiæ subditus, calciq́ instratus.*



a *Calcis os, tibiæ rectitudinem longè excedens.*

b *Os cymbæ imagini à dissectionum peritis comparatum.*

c,c *Quatuor tarsi ossa, quæ singulis characteribus d, e, f, & g in-*
d,e, *dicantur. ut sic interiora tria quæ nominibus carent, ab extimo,*
f,g. *quod g insignitur, & tesseræ & cubo confertur, distingui queat.*

h *Quinque ossa tarsum sequentia, pedionǵ constituentia.*

i *Quatuordecim pedis digitorum ossa.*

k *Pluribus locis hac figura k occurrit, ossicula indicaturum quæ à sesami semine nomen inuenerunt.*



IC NON prolixior nominum externas hominis sedes loca'ue indicantium enumeratio instituitur, quàm cõmodè imaginũ uirilis muliebrisq; corporis superficiẽ exprimentiũ marginibus adhiberi potest. Quanquam succinctam eorum descriptionem, ac uelut præsentium figurarum indicem duntaxat proponere nihil obstet, quum eadem ferè nomina externis corporis sedibus ac ossibus, partibus'que externæ sedi subditis, accommodentur, quorum præcipua, ab ijsq; qui rectiùs dissecandi rationem aggressi fuerunt instituta, iam prius in orationis contextu, quantum proposita nobis Epitome requirit, recensuimus. Solet itaque uniuersa corporis superficies ab illius nominum institutoribus primùm in magnas sedes diuidi, ac dein illarum partes rursus uarijs nomenclaturis donari. Atque ita Ægyptij medici corpus in[a] Caput,[b] Thoracem,[c] Manus, &[d] Crura diuidebant: Thoracem, perinde ac Aristoteles, nominantes, uniuersum corporis[e] truncum, à iugulo aut collo clauiculis'ue ad inguina & pubem, aut magis ad femorum usque superiora pertinentem: non autem tantum, ut Galenus, nonnulliq; Anatomicorum primarij, corporis sedem costis septam. Alij facultatum corpus uniuersum dispensantium, animarumq; sedibus mentem adhibentes, quadrifariam quidem similiter ac Ægyptij corporis superficiem discernunt, uerùm secus quàm illi corporis truncum in duas sedes primùm distinguẽtes, manus & crura unius partis loco prima hac diuisione enumerãt, illa quæ[f] Artus propriè uocatos constituunt, extremorũ nomine complectẽtes. Ac in corporis trunco duas præcipuas locant sedes, secundùm duas cauitates secantibus inibi obuias: quarum inferior ab elatiori, interuentu septi transuersi seiũcta, iecur naturalis altricis'ue animæ sedem sanguificationisq; officinã, ac insuper huic subministrantia organa complectitur, partibus quoque generationi famulantibus parata. Superior cauitas cordi irascibilis animæ fomiti uitalisq; spiritus fonti, illiq; subseruientibus organis ascribitur. Cæterùm tertia corporis cauitas capiti tribuitur, cerebro'que potissimùm principis animæ sedi, animalis'que spiritus promptuario sacratur. Corpore in hunc modum obiter diuiso, singularum partium superficies ita rursus distinguũtur, ut capitis totius pars anterior supercilijs superposita, ac[g] crinibus nuda,[h] lineas'que quasdam proponens,[i] Frons nominetur. Hac superior & uersus capitis medium uergens,[k] Sinciput. Vtrinque ad sincipitis latus, supra'que[l] Aurem, cui[m] Auditorius meatus inest, consistens,[n] Tempus. Media capitis sedes sinciput uersus posteriora superans,[o] Vertex, qui ueluti centrum est[p] circuli crinium originem circunscribentis. Post uerticem usque ad musculorum qui utrinque in ceruicis summo prominentes, in medio foueam ostendunt, ac plerisq;[q] Tendines dicuntur, elatissimam sedem[r] Occiput spectatur. Prior autẽ capitis pars à frõte ad mentũ usq; protensa,[s] Facies. Inferior enim frõtis pars,[t] Supercilijs ueluti eminẽtibus, pilisq; cõstitis terminis, eorundemq;[u] medio circunscribitur. His subsunt[x] Oculi, inferiùs & superiùs[y] Palpebris intecti: quarum sedes ubi inuicem conniuent, & erectis ordinata'que, ut in nauibus remos spectamus, serie positis pilis, quos[z] Cilia nuncupamus, ornatur, quodammodo'que cartilagineæ sunt,[a] Tarsi habentur. Commissionis huius termini,[b] Anguli sunt: quorum maior nasum, minor tempus spectat. In disiunctarum palpebrarum medio præter[c] Carunculam in maiori angulo conspicuam,[d] Album candidum'ue oculorum apparet: in cuius medio duo se offerunt circuli, quorum amplior[e] Iris & Corona est, minor[f] Pupilla.[g] Nasus oculos interiacet, cuius foramina[h] Nares uocantur: quarum externa latera nasi[i] Pinnulis seu Alis, interna uerò[k] Intersepto nasi constituuntur. Sedes ad nasi latera mali in modum prominulæ

Marginal notes: a κεφαλή. b θώραξ. c χεῖρες. d σκέλη. e ὄλμος. f κῶλα. g τρίχες. h δολιχοειδεῖς, & ἀμαρυγαί. i μέτωπον. k βρέγμα. l οὖς. m ἀκουστικὸς πόρος. n κρόταφος, & κόρσος. o κορυφή. p περίεδρος, & στεφάνη, & ἐξίδρυμος. q τένοντες. r ἰνίον. s πρόσωπον. t ὀφρύες. u μεσόφρυον. x ὀφθαλμοί. y βλέφαρα. βλεφαρίδες. a ταρσοί. b κανθοί. c ἐγκανθίς. d λευκόν. e ἶρις, & στεφάνη. f κόρη. g ῥίς. h μυκτῆρες, uel μυξωτῆρες. i πτερύγια. k διάφραγμα.



minulæ ac rubentes, [l] Malæ, & quibusdam Genæ uocantur. Sedes inter nasum & malas mediæ nonnullis [m] Concaua dicuntur, quo nomine alij totam oculorum [n] sedem à palpebris ad malas metitam uocarunt. Faciei pars quam inflamus [o] Bucca est. tota uerò ipsius pars à superciliis ad elatiorem usque dentium seriem pertinens, [p] Superior maxilla nominatur, reliqua autem quæ in uiris [q] Barba decoratur, [r] Inferior. cuius anterius extremum, [s] Mentum nonnunquam [t] fouea ornatum educit, sub [u] Labri inferioris rubore consistens. [x] Elatioris labri sedes naso subdita, [y] Sulculoque donata, [z] Mustax censetur. Quod labris circunscribitur & continetur, [a] Os, quo hiante [b] Lingua, [c] Palatũ, [d] Gargareon, [e] Dentes, [f] Gingiuæ, internaque [g] Faucium sedes occurrit. Quod caput ad clauiculas usque aut thoracem excipit, [h] Collum & Ceruix est, & si posterius nomen magis posteriori parti accommodetur, uti & anteriorem qua aspera arteria, & potissimùm ipsius [i] caput tangentibus occurrit, Guttur dictam legimus. [k] Humerus ueteribus uocabatur brachij ossis cum scapula articulus, unde & partem maximè ad colli radicem thoracisque latera eminentem, [l] Summum humerum dixerunt. Quod ab illo prorsum uersus [m] Iugulum foueam'ue in colli radice obuium uergit, [n] Clauicula est. Quod autem ab ipso ad extremã digitorum aciem protenditur, [o] Manus: cuius prima pars (sub qua cauitas [p] Axilla aut Ala appellata, & musculis quos [q] Tendines permulti illic uocant septa, consistit) ad proximum usque articulum [r] Cubiti'ue flexum producta, [s] Brachium, & Latinorum quibusdam Humerus dicitur. Posterior flexus illius sedes [t] Gibberus est. Pars ab hoc ad conterminum articulum ducta, [u] Cubitus, & Latinorum quibusdam Brachium & [x] Vlna. Ad cubiti extremum [y] Summa manus incipit, cuius pars à cubito ad quatuor digitorum radices porrecta, in duas sedes partitur: ac cubito propinquior [z] Brachiale est, alia [a] Postbrachiale, quæ à constructionis specie cum pectore etiam [b] Pectus, à quibusdam Palma nuncupatur. Huius interior sedes caua ac uarijs monticulis septa, multisque lineis interstincta, [c] Volam efficit. Reliqua summę manus pars, [d] Digiti sunt, singuli ternis [e] partibus tanquam in acie locatis efformati, & exteriùs [f] Vnguibus ornati. Horum maior alijsque actione oppositus [g] Pollex est, illi proximus [h] Index, dein [i] Medius seu Impudicus, cui proximus est [k] Medicus & Anularis. Extimam uerò sedem occupat [l] Paruus, Auricularis'ue. [m] Thoracem hîc nominamus corporis trunci partem [n] Costis septam, maximamque sedem [o] Laterum efformantem: cuius anterior sedes [p] Pectus est, quam [q] Mamillæ, atque in illarum medio [r] Papillæ cum obfusco ipsas ambiente [s] circulo occupant. Reliqua anterior trunci sedes [t] Abdomen constituit, cuius regio pectoris ossis cartilagini & costarũ cartilaginibus illa humilioribus proxima; perinde [u] Subcartilaginea nuncupatur, ac uiscera cartilaginibus illis complexa. Sic quibus septũ transuersum præcordia appellatur, sedes in quam id cartilaginibus inseritur, Præcordiorum nomen obtinuit. quanquam rursus alij ita etiam thoracis anteriorem sedem nuncupent. Quod sub infimis costis & ilium ossis spina (quę mulieribus multo magis quàm uiris educitur) ossibus destituitur, tangentibusque cedit, [x] Inania sunt & [y] Ilia. in quorũ ueluti medio [z] Vmbilicus cernitur, sub quo mox [a] Sumen, cuius infima sedes trunci termino proxima, [b] Aqualiculus nuncupatur. Terminus autem ubi hic [c] Pudenda & Naturalia consistunt, [d] Pubes est & Pecten, ad cuius latera in femorum flexu [e] Inguina recensemus. Maris pudendi pars citra sectionem conspicua, [f] Penis & Coles uocatur: cuius summitas magis quàm reliqua longitudo crassescẽs, [g] Glandem efformat, in cuius medio meatus urinæ seminique communis conspicitur. Huius inuolucrum [h] Præputium est, licet alijs tota penis summitas ita nuncupetur. In inuolucro reliquaque ad anum cute protuberantẽ suturæ modo lineam uocamus [i] Suturam, & totam hãc exporrectam extuberantemque ad anum usque penis partem [k] Taurum. Vti & sedem inter testium inuolucrum (quod ex cute paratum [l] Scortum dicitur) & anum conspicuam, [m] Interfeminium nuncupamus. Muliebris pudendi rima, quæ uteri ceruicis est orificium, [n] Sinus uocatur, quem [o] Alæ & Colles utrinque prominentes, & cuticularis in ipsius summo apparens [p] caro ornant. Recti intestini orificium per sedem prodiens, à figura [q] Anulus, & ab officio [r] Strictor appellatur. Posterior trunci corporis pars, [s] Dorsum aut Tergũ ferè nuncupatur, cuius latera in elatiori posteriorique thoracis sede [t] Scapulis constituunt. Inter ipsas uerò [u] mediũ & dorsi sedes hinc ad infimas usque costas, aut [x] ubi id maximè in flexu protuberat, pertinens, thoraci ascribit, ac post septum transuersum consistit. Sedes uerò hanc ad nates usque sequens, [y] Lumbos cõplectitur. Sunt autẽ [z] Nates carneæ & globosæ sedes, iliũ ossiũ occupãtes dorsum, in quarum medio sacri ossis & coccygis posteriores processus uelut excarnes ad anũ usque occurrunt. Vbi articulus femoris percipitur, magnusque [a] Rotator extuberat, [b] Coxendix est, aut Coxa, quod nomen alij [c] Femori ascribunt, ab inguinibus ad [d] Genu pertinenti: cuius posterior sedes & flexus [e] Poples nuncupatur. Genu ad proximum usque articulum pedis'ue initiũ [f] Tibia subsequitur, quæ nõnullis Crus nominatur, & si plures id nomen simul tibiæ femorique uelint esse cõmune. [g] Anterior tibiæ sedes ossea tangẽtibus occurrit, posterior autẽ ubi ipsius [h] Venter seu Sura cernitur, carnea. Tubera ad tibiæ imũ utrinque uelut ossea tangẽtibus obuia, [i] Malleoli, neutiquã uerò [k] Talus illis exceptus reconditusque nominatur. Postica pedis pars extra tibię rectitudinem retrorsum prominens, [l] Calx appellatur. Reliquę uerò pedis superficiariæ sedes prorsus ossium nomenclaturã assumunt, potissimũ autẽ [m] Tarsi, [n] Pedij seu [o] Pectoris, quod digiti hic etiam unguibus ornati sequuntur. Quanquã ubi de integro pede sermo instituitur, infima sedes qua calcamus plerunque Planta, & [p] Vestigium, ipsiusque internũ latus [q] Concauũ, superior uerò Tarsus nuncupetur.

l μῆλα. m κοῖλα. n γλήνη. o γνάθος. p ἡ ἄνω γένυς. q πώγων. r ἡ κάτω γένυς. s γένειον. t τύπος, uel νύμφη. u τὸ κάτω χεῖλος. x τὸ ἄνω χεῖλος. y φίλτρον. z μύσταξ, aut ὑπήνη. a στόμα. b γλῶσσα. c ὑπερῴα. d γαργαρεών, uel σταφυλή. e ὀδόντες. f οὖλα. g φάρυγξ. h τράχηλος, & αὐχήν. i λάρυγξ. k ὦμος. l ἀκρώμιον. m σφαγή. n κλείς. o χείρ. p μασχάλη. q τένοντες. r ἀγκών. s βραχίων. t ὀλέκρανον, & ἀγκών. u πῆχυς. x ὠλένη. y ἀκρόχειρ. z καρπός. a μετακάρπιον. b στῆθος. c θέναρ. d δάκτυλοι. e σκυταλίδες, & φάλαγγες. f ὄνυχες. g ἀντίχειρ. h λιχανός. i μέσος. k παράμεσος, & ἰατρικός. l μικρός. m θώραξ. n πλευραί. o πλευρά. p στῆθος. q μαστοί. r θηλή. s φῶς. t ὑπογάστριον. u ὑποχόνδρια. x κενεῶνες. y λαγόνες. z ὀμφαλός. a ἦτρον. b ἐφήβαιον, & ἐπίσιον. c αἰδοῖα. d ἥβη. e βουβῶνες. f καυλός. g βάλανος. h πόσθη. i ῥαφή. k ταῦρος. l ὄσχεον. m περίνεον, & [illegible]. n κόλπος, & [illegible]. o πτερυγώματα. p νυμφή. q δακτύλιος. r σφιγκτήρ. s νῶτον. t ὠμοπλάται. u μετάφρενον. x ἄκνηστις. y ὀσφύς. z γλουτοί. a τροχαντήρ. b ἰσχίον. c μηρόν. d γόνυ. e ἰγνύς. f κνήμη. g ἀντικνήμιον, & [illegible]. h γαστροκνημία. i σφυρά. k ἀστράγαλος. l πτέρνα. m ταρσός. n πεδίον. o στῆθος. p πέλμα. q κοῖλον.

FIGVRAE AD PROXIMAM PAGINAM AGGLVTINATAE,

MVLTISQVE PARTIBVS EXTRVCTAE,

characterum Index.

QVONIAM figura hic è regione à capite ad proximã paginam glutinata, ac omnẽ uenarum arteriarumq; seriem unà cum organis tunica costas succingente & peritonæo obductis cõmonstrans, pluribus insignienda uenit characteribus, non abs re fuerit, primùm præcipuas ipsius partes maiusculis latinis literis indicare, ac dein singula uti casus offeret, alijs characteribus exprimere.

A,A,A Septum transuersum hic conspicitur, quà à costarum et pectoris oßis cartilaginibus resciſſum est, & dein quà iecoris & lienis posteriora subit.

B Cordis inuolucri est portio inibi relicta, quà id septo magna amplitudine continuatur.

C Cor tam aptè atq; hac simplici figura licuit in sua sede expressum, & sua uasa auresque ostendens. Huic cordis figuræ alias subiecissem, quæ ipsius uentriculos, orificia, & ipsis præfectas ostendissent mẽbranas, si modò id una atq; altera chartula fieri potuisset.

D,D,D,D Pulmonis quatuor notantur lobi seu fibræ. Verùm ut cor manifestius unica hac figura pingeretur, thoracem intersepientes membranas omisimus, ac pulmonem uelut in latera recidentem delineauimus.

E Asperæ arteriæ caudex simul cum larynge, ipsiq; annexis glandibus.

F,F Iecoris gibbi magna superficies. tota enim caua iecoris sedes sub hac, atque adeò uentriculo delineatur, G & G priuatim insignita.

G.

H Bilem flauam excipiens uesicula.

I Ventriculus suis uasis ac neruis, & dein stomacho & superiori membrana omenti, & inferioris etiam humiliori portione ornatus.

K Superior omenti membrana.

L Inferioris membranæ omenti portio, quæ uelut à colo intestino initium ducit.

M Intestina ad unum omnia.

N,N Inferioris omenti membranæ portio uentriculo subdita, & colum intestinum quà uentriculo exporrigitur, dorso colligans: atq; hic organorum per ipsam distributorum delineatur series, ut & uasorum distributio per mesenterium in intestina excurrens.

O Lien ex caua ipsius facie potißimùm expressus.

P Dexter ren.

Q Sinister ren.

R Vterus simul cum suis testibus uasisq; delineatus.

S Mulieris uesica simul cum meatuum urinam à renibus deferentium portione, ac dein cum umbilici uasis expressa. Verùm animum modò adhibe notis supra septum positis.

T Venæ cauæ caudex, quà inter cor & iecur consistit.

V,X Cordis basis, atq; adeò uasa id coronarum ritu succingentia.

Y Cordis mucro.

Z Venæ sunt ac arteriæ per cordis corpus digestæ.

a Sedes, qua cauæ caudex in cordis dextrum sinum dehiscit.

b Dextra cerebri auricula.

c Sinistræ auriculæ apex.

d Venæ arterialis caudex. Venalis autem arteriæ initium quia in sinistro cordis latere (ut hic cauæ orificium in dextero) consistit, conspici hac figura

e,e. nequit. Notant tamen e & e uenalis arteriæ & uenæ arterialis in dextram pulmonis partem progressus, nondum pulmonis substantia undique circundatos.

f Magnæ arteriæ caudex.

g Magnæ arteriæ truncus, partes cordi subditas petens.

h Superiora petẽtis magnæ arteriæ trunci portio, sinistro brachio potißimùm oblata.

i Dicti modò trunci insignior portio, atque adeò ipsius in duos impares ramos distributio, quorum

k. alter sinistra est soporalis k notata. grandior ue

l. rò dextram format soporalem l insignitam, & arteriam potißimùm in dextrũ brachium excurren

m. tem, & m notatam.

n,n Hàc excurrunt septi transuersi nerui, quorum initium in figura cuiilla cuius indicem prosequimur, firmatur, P insignitur.

o Venæ pari destitutæ initium, ipsius uerò series in præsentis figuræ tergo est conspicua.

p Cauæ in iugulo bipartitio, ac utrinque ad p lateræ exortus apparent uenarum pectoris oßi propriarum, ac ad umbilici usque regionem excurren

*. tium. Harum altera simul cum coniuge sibi arte

q. ria * insignita, in uno latere q notatur.

r Venæ superior aliquot costarum interualla adeuntis initium.

ſ,ſ Vena per transuersos ceruicis uertebrarum processus caluariam petens, atque in secundum duræ

t,t. membranæ sinum simul cum coniuge arteria ab

u,u. sumpta. Notatur enim primus sinus t, t. secun

x,x.y. dus u, u. tertius x, x. quarti initium y.

ʒ Axillam petens uena, quæ in sinistro latere hu

α. merariam α indicatam promit. In dextro autem latere illius inıtiũ hic ab externa pendet iugulari.

β,γ. Hic abtrũcatæ propagines illæ sunt, quæ ab axillam petente uena in thoracis anteriora, posteriora & latera digeruntur.

δ Interior iugularis.

ε Interioris iugularis in duas uenas distributio, quarum altera secundum duræ membranæ petit sinum, altera in latus sinistrum duræ membranæ excurrit.

ζ Exterior iugularis.

η Exterioris iugularis ad fauces distributio. θ ip

θ. sius pars post aures ad occipitium excurrens no

ι,κ. tatur, ι ad tempus & uerticem, κ ad faciem &

λ. frontem, λ ad secundum duræ membranæ sinum.

μ. μ uerò duo ipsius rami indicantur, quorum alter per octauum capitis os caluariam petit, alter per secundi paris neruorum cerebri foramen.

ν Aliquot subsequentes characteres in dextro ponuntur latere, soporalis arteriæ seriem indicantes. Atque hic ν arteriæ portionem indicat caluariam petentem, postquam ramum à se diffudit, cum externa iugulari ad faciem, & ad tempus, & post aurem digestum.

ξ Soporalis ramus primum duræ membranæ petens sinum.

ο Præcipua soporalis portio per priuatum foramen caluariam petens.

π Versus narium amplitudinẽ exporrectus ramus.

ρ Ramus in dextrum latus duræ membranæ excurrens.

σ,τ Rami soporalis præcipui, qui plexum reticularem efformare perperam creduntur.

υ Ramus oculos petens.

φ Ramus tenuem adiens membranam cerebri basi obuolutam.

χ Plexus, quem extimo fœtus inuolucro comparamus.

ψ Sexti paris neruorum cerebri dexter neruus, illic absciſſus quà secundum laryngis latus deorsum fertur.

ω,ω Dexter recurrens neruus.

1 Sexti paris neruorum cerebri truncus sinister.

2,2 Recurrens neruus sinister.

3 Neruulus cordis basim accedens.

4 Posteriora ceruicis & occipitium adiens uena.

5 Scapulæ posteriora petens uena. Verùm & si posthac arteriam priuatim nõ insigniamus, promptè ex delineatione liquet, cui nam uenæ arteria exporrigatur.

6 Ad cutem quà summus humerus integitur.

7 Humeraria quà cutem subit, cubitumq; adit.

8 Humerariæ ramus altiora cubiti articuli interdum petens.

9 Ramus ab humeraria ad communis uenæ constitutionem repens. Verùm modò conduxerit potius minores latinos characteres assumere, ne quum arithmetici characteres geminandi essent, plura ipsis obliterentur.

a,a Humerariæ ramus per radium cubitiq; exteriora ad ulnæ appendicem & brachiale properans, axil

π. larisq; ramo p notando, illic ubi π uisitur, aucta, & paruum digitum, deinde & anularem præcipuè accedens.

b Axillaris ramus, cuti anteriorem interioremq; brachij sedem inuestienti dispensatus.

c Ad musculos cubitum extendentes.

d Ramus quartum brachij neruum ad cubiti usque exteriora concomitans.

e Axillaris in duos truncos partitio.

f,f Truncus in alto latitans, & arteria undique concomitatus, & per cubiti flexum in cubitũ tendens.

g Dicti trunci ramus radio exporrectus, & surculos pollici, indici & medio exhibens.

h Arteriæ dictum ramum concomitantis soboles, externam manus sedem inter indicem ac pollicem accedens.

i Reconditi illius trunci ramus ulnæ exporrectus, & paruo digito, anulari & medio soboles depromens.

k Sub cute excurrentis axillaris trunci iuxta cubiti articulum diuisio.

l Axillaris ramus communem constituens.

m Communis uena.

n Communis uenæ instar Y diuisio, atque dein ipsius per externam manus sedem series.

o Surculus communis internam manus adiens sedem, & hic alijs commixtus ramulis.

p Axillaris ramus ulnæ exporrectus, uarieq; in cutem diſſectus, & suo extremo cum quodam humerariæ ramo coiens, ubi π posuimus.

q,q Series uenarum internam cubiti cutem & uolam implicantium.

r Vmbilici portio.

ſ,ſ,ſ Vena ab umbilico in iecur exporrecta.

t Meatus urinam fœtus inter secundum ipsius inuolucrum & intimum deferens.

u,u,u,u Arteriæ fœtui peculiares.

x Vesicæ ceruix.

y Vesicæ ceruicis musculus.

α,α Superius uentriculi orificium, cui stomachus à tergo agglutinatæ figuræ continuatur. atque hic etiam notatur uena & arteria coronæ modo id orificium succingens.

β Stomachi initium cui tonsillæ adhuc affirmãtur.

γ Inflexus stomachi ad dextrum latus, ipsiq; peculiares glandes.

δ Neruorum sexti paris ad stomachum series.

ε Vena & item arteria & neruus ab elatiori orificio uentriculi ad inferius excurrentes. Verùm

ε. neruus ille iecur adiens, in iecoris cauo etiam ε indicatur.

ζ Inferius uentriculi orificium, & duodeni intestini initium.

η,η Venæ & arteriæ hue ab illis deductæ, quæ lienis cauo inseruntur.

θ,θ Vasa dextram sedem fundi uentriculi implicãtes.

ι,ι Vasa sinistram sedem fundi uentriculi intexentia, & superiori membranæ omenti, ut & nuper dicta uasa, surculos depromentia.

κ Musculus rectum intestinũ orbiculatim ambiẽs.

λ,λ Musculi rectum intestinum post egestionem sursum trahentes.

μ Sedes qua colum intestinum recto continuatur, atque ideo interuallum à κ ad μ rectum est intestinum.

ν,ν,ν,ν Colum intestinum.

ξ Cæcum intestinum.

ο,ο,ο Omnes isti anfractus ilei seu uoluuli, intestini & ieiuni censentur.

ζ,ϖ A ϖ usque ad ζ duodeni intestini maxima est portio.

ρ Glandium duodeno intestino, ut & ieiuni initio adnatum.

σ,σ Meatus bilis uesiculæ duodeno insertus.

τ Venæ portæ caudex.

υ Iecori inserta arteria, & neruus quoq; illi exporrectus arteriæ.

φ Bilis uesiculam adiens arteria & neruus.

χ Venæ bilis uesiculam adeuntes.

ψ Vena & item arteria posteriorem uentriculi sedem iuxta ipsius inferius orificium accedentes.

ω Vena uentriculum petens, quà gibbum ipsius dextram dorsi sedem spectat.

a Vena, arteria, neruus, dextram fundi uentriculi sedem implicantes.

b Minor portæ maximæ distributionis truncus.

c Grandior truncus maximæ partitionis uenæ portæ.

d Vena & arteria duodeno intestino potißimùm exporrectæ, & ipsis attenso corpore glanduloso suffultæ.

e Vena cum coniuge arteria dextram sedem adiens inferioris membranæ omenti.

f,f Radix arteriæ in iecur, uentriculum, lienem & omentum, & bilis uesiculam digestæ.

g Vena cum coniuge arteria superius uentriculi orificium coronæ modo tandem cingens, atque in uentriculi figura inter α & α occurrens.

h Vena & arteria præcipuam inferioris membranæ omenti sedem petens, & colon quà uentriculo exporrigitur implicans.

i,i Glandulosum corpus uasorum distributioni hic præfectum.

k Inferioris omenti membranæ sinistram sedem accedens uena.

l,l Vasorum series ad lienem.

m,m,n Vasa ab illis quæ lieni inferuntur sinistram uentriculi sedem adeuntia. Verùm præcipua n indicantur, quæ sinistram sedem fundi uentriculi implicant.

o,o,o Series est uenarum & item arteriarum intestinis propriarum.

p,p Radix præcipuæ arteriæ intestina petentis.

q,q Minor arteria intestinis propria.

r,r Glandulæ in mesenterio positæ, & nuper narratos uasorum diductus corroborantes.

s Foramen septi transuersi stomachum transmittens, atq; adeò sinus iecoris stomacho cedens.

t Iecoris ligamentum, quo sinistra ipsius pars septo nectitur.

u Magna arteria septum permeans, atq; adeò ipsius ramus in dextram septi partem excurrens.

x Cauæ uenæ caudex.

y Vena sinistri renis pinguem accedens tunicam.

α Vena & arteria reni dextro oblatæ.

β Vena dextri renis pinguem tunicam intexens.

γ Sinistrum renem accedens uena & arteria.

δ Sinistra seminalis uena.

ε Dextra seminalis uena.

ζ Arteriarum seminalium ortus.

η,η Sinistræ seminalis uenæ & arteriæ congressus.

θ Ramuli à uena & arteria in membranam excurrentes, quà peritonæo committuntur.

ι Portio uenæ & arteriæ testem adeuntium, superiorem fundi uteri sedem petens.

κ Commixtio uenæ & arteriæ seminalium, quæ instar pyramidis est, & uaricibus aßimilatur.

λ Testis sinister.

μ,μ Vas semen à teste in uterum deferens.

ν Obtusus uteri fundi angulus, in quem uas semen deferens insertionem molitur.

ξ Hac sede fundus uteri in ceruicem terminatur, hacq; regione ipsius consistit orificium.

ο,ϖ Vteri ceruix.

ρ Hic uesicæ ceruix in uteri ceruicem producitur ac desinit.

σ. Vasa sunt inferiorem uteri fundi sedem & ceruicem implicantia.

τ,τ Ceruicis uteri oris colliculi.

υ,υ,υ Meatus urinam è renibus in uesicam deducentes.

a,a Venæ & arteriæ lumborum uertebris ipsisq; adnatis musculis, & abdominis lateribus exporrectæ.

b Venæ cauæ & arteriæ super os sacrum partitio.

c,c Arteriolæ sunt sacri oßis foramina petentes.

d Sinistri partitionis dictæ trunci diuisio.

e Interioris rami dictæ diuisionis propago, nates & coxendicis oßi adnexa petens.

f Dicti rami propago tandem uesicæ & utero digesta.

g Pars est arteriæ fœtui peculiaris, quam antea ad uesicæ latera u, uti & hic quoque in maiori figuræ portione, notauimus.

h Portiuncula exterioris rami dictæ antea diuisionis ad reliquum accedens interioris rami.

i Reliquum interioris rami per pubis oßis foramẽ in musculos interiorem femoris sedem occupantes distributum.

k Sedes qua soboles dicti reliqui alteri uenæ commiscetur. Verùm hic ex tabula promptè animaduertis, quando & arteriæ subaudiendum est, quum scilicet uenæ arteriam attendi cernis.

l Exterioris rami propago, abdominis inferiorem sedem ad umbilicum usq; perrepens.

m,m Vena per femoris & tibiæ interiora sub cute ad digitos usque pedis distributa, & in progressu uarios edens surculos.

n Coxendicis anteriora petens, sub cute tamen.

o Musculos et cutem femoris exteriorem sedem occupantes intertexens.

p Musculis anteriorem sedem femoris occupantibus digesta.

q Dictæ modò uenæ congressus cum ea quæ per pubis oßis foramen femur adit.

r Hàc præcipua femur petens uena secundum femoris os reflectitur.

s,t Propagines musculos posteriorem femoris sedem occupantes, & cutem huius sedis ad suram usque accedentes.

u Diuisio in poplite, atque adeò rami in musculos à femoris capitibus hic pronascentes distributi.

x Maioris dictæ diuisionis trunci uena, externam tibiæ cutem ad summum usq; pedem implicans.

y Vena & arteria: quanquam id non additum oportuit, fibulæ exporrecta, ac inter musculos latitãs.

α Maioris dictæ diuisionis trunci ramus, cutem internam tibiæ sedem integentem, ad digitos usque uariè subiens.

β Ramus dicti trunci suram ad calcem usq; petens.

γ Propago grandioris trunci inter musculos tibiæ anteriorem sedem occupantes, ad pedis usq; superiora & digitos digesta.

δ Trunci grandioris reliquum inter musculos posteriorem tibiæ sedem sibi uendicantes deorsum repens, & inter tibiam & calcem pedem subiens, ramulos digitorum inferiori sedi communicans.

VENARVM

VENARVM, ARTERIARVM, NERVORVMQVE OMNIVM INTEGRA DELINEATIO SIMVL CVM NVTRITIONIS QVAE CIBO POTVQVE FIT ORGANORVM, ET CORDIS PVLMONISQVE ac demum muliebrium generationi subseruientium instrumentorum imaginibus.

FIGVRAE HVIC CHARTAE IMPRESSAE, cuiq; alia agglutinatur, ac quæ peculiariter neruis ostendendis parata est, characterum Index.

CEREBRVM unà cum cerebello cerebriq; exortibus eum in modum hic delineauimus, quasi à caluaria enudatum in ipsius basi ita conspiceretur, ut appareret si quis erectus caput in posteriora quàm maximè flecteret, sursum retrorsumq; oculos acturus. Cæterùm quoniam utriusq; lateris eadem neruorum in præsenti figura est ratio, sufficeret uni tantùm lateri characteres adhibere.

A,B,C Cerebri ex altero latere basis notatur, ac A indicat partem ipsius ad narium summum promitulam, nonnullisq; mamillarem processum nuncupatam. B uerò cerebri partem insinuat, amplum caluariæ sinum subeuntem, qui ad latus sinus consistit, quo glans cerebri pituitam excipiens reponitur. C autem maximè posticam cerebri sedem notat.

D,D Cerebellum.

E Sinister cerebri processus, organo olfactus subministrans.

F Nerui uisorij sinistri ortus.

G Neruorum uisoriorum coitus.

H Tunica, in quam uisorius neruus exoluitur, degeneratúe.

I Secundum neruorum cerebri par.

K,K Minor radix tertij paris.

L Crassior radix tertij paris.

M Quartum par.

N Quinti paris gracilior radix.

O Quinti paris insignior radix.

P Membrana, in quam quintum par in auditus organo præcipuè exoluitur.

Q,R Maioris quinti paris radicis propagines, quorum hæc per cæcum elabitur foramen, illa uerò per aliud sibi proprium.

S Sextum neruorum par.

T Septimum neruorum cerebri par. atq; horum neruorũ progressus hic non delineari potuere, quamuis interim magna ex parte in alijs huius compendij figuris passim, præcipuè uerò in huic superposita, & tertia ad musculos ostendendos præcipuè paratarũ occurrant.

V Dorsalis medullæ ex cerebri basis medio initium.

O Dorsalis medullæ sedes qua caluariam egreditur.

1,2,&c Numeri characteres septem ceruicis, duodecim thoracis, quinq; lumborum, & sex sacri ossis indicãt uertebras, atq; adeò triginta neruorum à dorsali medulla prosilientium paria, quorum seriem quàm potui accuratissimè & simplicissimè in hac tabella meo marte delineata expressi. Verùm quia hic locus exiguam characterum declarationem admittit, non omnes neruorum soboles literis insigniturus sum.

P Septi transuersi sinister neruus, quem citra aliam characterum operam ex quarti, quinti & sexti parium propaginibus efformari conspicis. promptum enim est delineationem intelligere, si prius descripta neruorum series hic picturæ accommodetur.

Q Neruus à quinto pari cuti summum humerum inuestienti, & dein musculo brachium mouenti præcipuè distributus.

R Primus brachij neruus, ipsiusq; propagines hic in cutẽ excurrẽtes.

S Secundus brachij neruus, ipsiusq; in anteriorem cubitum flectentium musculum soboles.

T Tertius brachij neruus, ipsiusq; propago cuti anteriorem brachij sedem induenti oblata.

V Tertij nerui propago ad musculum posteriorẽ cubitũ flectentiũ.

X Secundi nerui portio tertium accedens.

Y Ramus secundi caput adiens longioris radium in pronum mouentis musculi.

Z Secundi distributio in duos impares ramos.

a Minor ramus secundum radium cuti ad pollicẽ usq; exporrectus.

b Crassior ramus mox in duas propagines diuisus, quarum series in conspicuo est.

c Tertij nerui soboles in musculos internam cubiti sedem occupantes digestæ.

d Tertij ramus radio exporrectus, ac dein pollici & indici & medio surculos offerens.

e,e Quartus brachij neruus. atq; inferius e ramos notat musculis cubitum extendentibus depromptos.

f Quarti ramus internam brachij cutem adiens.

g Quarti ramus externam & posteriorem brachij accedens cutem.

h,h Quarti ramus cuti externæ cubiti digestus.

i Quarti præcipua distributio ad ingressum cubiti.

k,k Quarti ramus radio exporrectus, & externæ sedi pollicis, indicis, & medij soboles offerens.

l,l Quarti ramus ulnæ exporrectus, & musculis ab externa ipsius sede initium ducentibus ramulos exhibens, ac ante brachiale cessans.

m Quintus brachij neruus.

n Quinti nerui series in musculos ab interno brachij ossis tubere pronatos.

o,o Quinti nerui ramus ulnæ exporrectus, & internæ sedi parui digiti & anularis, aliquando & medij ramusculos dispergens.

p Dicti modò rami soboles in externam manus sedem reflexæ, ac externæ parui digiti sedi & anularis & medij surculos dispensans.

q,q Sextus brachij neruus, ipsiusq; sub cute tantũ ducta series. Quis uerò brachij neruorum sit exortus, principiorumq́ue plexus, absq; notis promptè dignoscitur.

r,r,r Nerui sunt intercostales, illic præcisi, quà cum costis antrorsum reflectuntur.

s,s Rami in posteriora deducti, hic etiam undiq; obuij.

t,t Huiusmodi serie nerui musculos adeunt thoracis ossibus instratos.

u,u Propagines indicantur, sexti paris neruorum cerebri ramum costarum radicibus exporrectum augentes.

x,x Propagines neruorum ex lumborum uertebris exilientium, quæ abdominis & huius sedis musculis & cuti dispensantur.

y Neruulus testem frequenter petens, hicq; resectus.

z Propagines sextum femur mouentium adeuntes musculum.

& Primus femur petens neruus.

α Primi nerui propago cuti oblata.

β Primi nerui propago altius inter musculos absumpta.

γ Secundus femur petens neruus.

δ,δ Secundi nerui soboles per internam femoris et tibiæ sedem ad pedis usq; superiora sub cute excurrens.

ε Secundi nerui propago musculis anteriorem femoris sedem occupantibus deprompta.

ζ Tertius femoris neruus.

η Tertij propago, internam femoris cutem implicans.

θ Tertij propago musculos adiens.

ι,ι Quartus femoris neruus, cuius exortus æquè atq; trium superiorum est conspicuus.

κ,κ Series anteriorum propaginum inferiorum parium è sacro osse prodeuntium.

λ Dorsalis medullæ extremum.

μ Quarti femur petentis nerui propagines ad capita musculorum à coxendicis ossis appendice prodeuntium sparsæ.

ν Quarti nerui soboles in posteriorẽ femoris cutẽ ad medium usq; longitudinis femoris excurrẽs.

ξ Propago præcipuè in quartum tibiam mouentium musculum, ac dein in reliquam posteriorem femoris cutem iuxta genu digesta.

ο Soboles in musculos ab inferioribus femoris capitibus pronatos.

π,ρ Quarti nerui in duos truncos distributio. ac π quidem minorem, ρ uerò insigniorem notat.

σ Minoris trunci propago, externæ tibiæ cuti ad parui digiti usq; extremum diffusa.

τ Propago fibulæ inter musculos exporrecta.

υ Ramulus anteriorem tibiæ cutem implicans.

φ,φ Grandioris trunci ramus internæ cuti tibiæ ad pollicem usque digestus.

χ Grandioris trunci ramus, posteriori tibiæ seu suræ cuti exporrectus.

ψ Grandioris trunci ramus, ligamentũ penetrãs fibulam tibiæ quà hæc ossa inuicẽ dehiscunt cõmittens, ac dein ad digitorum usque superiora excurrens.

ω Præcipua grãdioris trunci portio, inter tibiæ os & calcem pedis inferiora petens, singulisq; digitis surculos offerens.

FINIS.

Prima columna in E, uersu 17. lege, promit 1 col. F, uersu 51. glandula nucis pineæ instar effigiata 2 col. in G, uersu 9. perficiuntur.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M, præter duas chartas nullo charactere insignitas: è quarum una figuram parare licebit, figuræ in pagina secunda folij G depictæ agglutinandã. ex altera uerò, figura parabitur, ad figuram quæ huic paginæ impressa est, figenda. Reliqua uerò duodecim folia ex cuiusque arbitratu sunt inuicem nectenda: quãuis magis conueniat A cum M, & B cum L, & C cum K, & ita deinceps iungere, ut uniuersa Epitome quodammodo sexternionẽ constituat, modò in libri formam hæc concinnare lubeat.

BASILEAE, EX OFFICINA Ioannis Oporini, Anno M D XLIII. Mense Iunio.

FIGVRAE AD TABVLAM APTANDAM PARATAE, ILLI AGGLVTINANDAM QVAE FIGVRARVM MVSCVLIS OSTENDENDIS PARATARVM VLTIMA SEV QVINTA INSCRIBITVR.

AD figuram neruorum seriem in ultima totius Epitomes chartæ proponentem, figura multis extructa partibus glutinatur, quæ præter uenarum arteriarumque seriem, & nutritionis quæ cibo potuque fit organorum, & cor partiumque ipsi subministrantium imagines, generationis in mulieribus instrumenta proponit. Verùm quia uiri alicubi spectanda erant, præsentem chartam parauimus, quæ ab illa quæ figuram ultimæ chartæ committendam continet, nulla ex parte differt, præterquam in generationis organis. Licet itaque pleraque in hac charta impressæ figuræ illis respondeant quæ in nuper dicta proponuntur charta, neutiquam obfuerit, ex his omnibus unam parare tabulam, quam quintæ musculorum figuræ affiges. Toti itaque chartæ membranam subglutinabis, omnesque figuras à superflua papyro circumscindes, nisi quòd in prima quæ cæterarum est præcipua, ac ueluti aliarum basis, supra caput portiunculam seruari conuenit, à qua tota agglutinata pendeat. Dein uenæ ac arteriæ ad uesicam & pudenda excurrentes, ab abundanti papyro non sunt resecandæ, ut QVARTA *figura quæ intestina proponit ipsi conglutinari illic queat, ubi n inscriptum habet. nisi fortè illam* SECVNDAE *(quæ uentriculum, stomachum & omenti superiorem membranam proponit) tergo iungere uelles, ut utriusque figuræ ʒ responderet.* TERTIA *humilioris membranæ, quà sub coli intestini parte uentriculo exporrecta consistit, omenti posteriorem faciem ostendens, ad secundam ita nectetur, ut* K *opponatur* L, *ac sacculi imago consurgat. Nunc secundam ad primam nexurus, in septo transuerso ubi ſ occurrit, iecurque stomacho cedit, foramen molieris, per quod stomachum ita traijcies, ut asperæ arteriæ succumbat, nexusque ad foraminis tergum fiat.* QVINTA *humilioris membranæ omenti portionem uentriculi posteriori sedi subditam cum liene & portæ uenæ illi' que attensis arterijs distributione commonstrans, cauæ iecoris sedi in prima figura glutinabitur, ubi in ambabus figuris υ, φ, χ, ς occurrunt.* SEXTA, *quæ meatuum urinam è renibus in uesicam deferentium portionem exprimit, & seminalium uasorum cum testibus ipsorumque inuolucris commonstrat, illic primæ est iungenda, ubi uenæ & arteriæ seminales urinarijs meatibus incumbere uidentur, aut ubi in sinistro latere in utraque figura κ spectatur.* SEPTIMA *figura inferiorem penis corporum sedem & meatum urinæ seminique communem cum ipsum ambiente musculo ostendens, ex proportione sub octaua est conglutinanda, ut æ, æ, ψ, ω inuicem respondeant.* OCTAVA *autem uesicam, umbilicum, cum ipsius uasis & glanduloso corpore uesicæ ceruici adnato & pene commonstrans, ad sextam illic est committenda ubi φ spectatur, ue scilicet φ septimæ figuræ ad φ sextæ committatur, ac dein penem instar* S *literæ complices.* NONA *portionem gibbæ sedis iecoris proponens, non inutiliter ueluti ex puncto illic glutinabitur, ubi* A *inter* ſ & F *maioris seu primæ figuræ consistit.* DECIMA, *quæ uenæ pari carentis distributionem proponit, magnæ figuræ tergo illic uenit committenda, ubi cauæ caudex eam uenam promit, ac* o *in utrisque figuris scriptum spectatur.* VNDECIMA, *ubi à redundanti papyro circuncisa erit, duas partes constituet, quarum superior uenam arteriamque dextri lateris exprimit, sub pectoris osse superiorem abdominis sedem petentes. Huius itaque partis* q *ad magnæ figuræ* q *figetur, &* * *ad ramum qui ad dextrum latus* ʒ & m *in magna figura occurrit. Cæterùm humilior pars uenam arteriamque exprimens, quæ inferiorem abdominis sedem explicant, illic est iungenda, ubi earum radices iuxta* l *in dextro latere spectatur.*

Figuraque DVODECIMA *inscribitur, & si huic chartæ impressa sit, non ad primam figuram est committenda, uerùm ad illam quæ quinta musculorum tabula uocatur. Hîc enim pubis ossium anterior sedes cum cartilagine ossium illorum coalitum interueniente, delineatur. Quî autem glutinanda sit, promptissimè obseruabis, quum illam à superflua charta recisam, altera ex parte quintæ musculorum tabulæ committere studebis, ubi pubis ossa ab illa uides adempta.*

PRIMA.

SECVNDA.

TERTIA.

QVARTA.

QVINTA.

SEXTA.

SEPTIMA.

OCTAVA.

NONA.

DECIMA.

VNDECIMA.

DVODECIMA.

CHARTA, EX QVA FIGVRAM PARARE CONVENIT, ILLI QVAE NERVORVM SERIEM EXPRIMIT APPENDENDAM.

OMNES figuræ hac charta impressæ simul ad unam spectãt, quæ ex capite, aut uti commodius duxeris, illi figuræ agglutinãda uenit, quæ neruorũ seriẽ proponit, ac in folio m inscripto, seu omnium ultimo spectatur. Quod eos admonitos uoluimus, qui in imparata incident exemplaria, suoq; marte ac industria hæc sibi concinnabunt: in quo opere tum in glutinando & singulis à superflua papyro rescindendis, tum coloribus si uisum erit adhibendis, quisque quantum uolet præstabit. Dein ut robori consulatur, toti huic chartæ non inutiliter membrana subglutinabitur, priusquam tota charta in tot frusta quot figuras complectitur, diuidatur. quibus numerum in hoc asscribam, ut quo queq; loco committenda sit, explicem, quantumq; in me est studiosorum labori consulam.

PRIMAM cæterorum præcipuam, ac uelut aliarum omniũ basim ex figuræ nudam mulieris imaginem exprimentis proportione, uti & cæteras omnes hic obuias delineauimus, quæ primùm undecunq; in ambitu proximè ad delineationem à reliqua charta est resecanda, interim latiuscula reseruata in capitis uertice portione, à qua postmodum glutinari queat, simulatque reliquæ partes ipsi fuerint commissæ.

SECVNDAE figuræ stomachum & anteriorẽ uentriculi sedem simul cum superiori membrana omenti, harumq; partium uasis & neruis proponenti, aliquot aliæ, priusquam primæ committatur, ueniunt agglutinandæ. TERTIA enim, quæ posteriorem regionem exprimit, totius inferioris membranæ sedis quæ sub colo intestino consistit, quà id uentriculo exporrigitur, ita ex proportione superiori membranæ omenti glutinanda est, ut omentum sacculi imaginem referat. QVARTA dein, quæ intestinorum imaginem spectandam offert, tertiæ figuræ tergo ea sede est committenda, qua inferius uentriculi orificium intestinorum principio continuatur. Sedem hanc ʒ in secunda figura et quarta positũ indicabit. Quum tamen quartam committis, conduxerit utring; ad ʒ literã chartæ portionem asseruare, illamq; tertiæ figuræ, ut quarta ualidiùs hæreat, agglutinare. Nunc secundã primæ nexurus, trãsuersam sectionẽ in prima inibi duces, ubi ʃ in humiliori septi transuersi sede occurrit, iecoris sinũ indicans, quo id stomacho hàc transeunti cedit. Per hoc foramẽ stomachum ita trãsmittes, ut asperæ arteriæ subijciatur, uentriculusq; sua sede consistat. Nexum uerò ad primæ figuræ tergum iuxta nuper dictum foramen molieris.

QVINTA figura inferioris omenti mẽbranæ portionem exprimit, quæ posteriori uentriculi subijcitur sedi, ac uenæ portæ distributionem simul cum arterijs neruisq; hàc excurrentibus sustinet. Insuper præter eiusmodi uasa, hîc etiã lien cum uenis ac arterijs per mesenteriũ diffusis spectatur, totaq; figura ad primam in iecoris cauo ita est glutinanda, ut v, φ, τ, s in utrisq; figuris occurrentia inuicem respondeant.

SEXTA figura uterum cum testibus seminalibusq; uasis proponens, postquam cæterarum modo circuncisa erit, primæ inibi in dextro latere et sinistro iungetur, ubi uena arteriaq; seminales simul cõcunt, & u in sinistro latere in prima figura & sexta spectatur. Quum hanc iungis, etiam SEPTIMA, quæ uesicam ac umbilici uasa simul cum meatuum urinam è renibus deferentium portione, eadem sede ad primam ita est conglutinanda, ut meatus illi seminarijs uasis subglutinentur, ipsa autem uesica utero incumbat, proportionẽ quã possis optimam hîc obseruans, quam partium delineatio ac continuitas facilè commonstrant.

OCTAVA iecoris gibbæ sedis eam portionem delineatam continens, quæ in anteriori corporis regione spectanti occurrit, etiã iecoris fissum refert, cui uena ab umbilico ducta inseritur. Hanc itaq; ueluti ex puncto tantum, illic iecori in prima figura committes, ubi A inter F & ʃ spectatur.

NONA uenæ pari carentis seriem ostendens, ad primæ figuræ tergum est committenda, ubi cauæ caudex uenam illam sine coniuge promit. atq; id fiet promptè, si ad o in ambabus figuris animũ adhibueris.

*DECIMA, quæ duas partes, ubi à superflua papyro resecta erit, constituet, superiori sede uenam ac arteriam dextri lateris delineatas continet: quæ sub pectoris osse deorsum repentes, superiorem abdominis sedem petũt. Hæc suo charactere q in iugulo ad primæ figuræ q glutinabitur. * autem ad ramum primæ figuræ, qui ad dextrum latus ʒ & m resectus conspicitur. Humilior decimæ figuræ pars uasa ostendit in inferiorem abdominis sedem excurrentia, quæ inibi ad primam figurã sunt cõmittenda, ubi in dextro latere l iuxta uasa crus petentia obuiũ est, illorumq; uasorũ apparent initia. Nunc primam figuram chartæ cõmittes, quæ neruorum seriem proponit, & leui negotio obseruabis quo situ singula sint locanda, si modò characterum indicem partiumq; descriptionem operi adhibueris.*

PRIMA.

SECVNDA.

TERTIA.

QVARTA.

QVINTA.

SEXTA.

SEPTIMA

OCTAVA.

NONA.

DECIMA.